

# Jacobi de paradisi

so Theologi doctissimi: ordinis Car  
thusien. de animabus a corpo  
ribus exiis Tractatus co  
pendiose ac studiose  
collectus.

De Egressu animarū a corporibus humanis.

De Receptaculis & locis ad que perducunt post  
egressum & de habitationibus suis.

De Apparitiōibus spiritū post egressum a cor  
poribus


De Inquisitoribus seu experimētatoribus harū  
animarum: & quō expediat eos esse dispositos  
atq; cerimonijs ad hoc requisitis.

De Modo cognoscēdi bonū spiritū a peruerso.

De Suffragijs quibus animabus a corporibus  
exiis per uiuētes subueniri poterit.

Modus quō uiuentes possint euadere penas.





no. inv. Sd 405/3/87



IACOBI DE PARADISO THEOLO-

gi doctissimi: ordinis Carthusien. de animabus

a corporibus exutis: Tractatus compen-

diosę ac studiosę collectus.

**H**OGAMVS VOS ne terreamini per spiri-  
tum. Verba sunt apostolica ad plebem thessaloni-  
cam missa in epistola secūda. cap. ij. eandem cōso-  
lantia ne terrore concuterentur propter persecuti-  
ones arbitantes pro tunc quasi instaret dies iu-  
dicij proxime futuri: ut patet ex sequētib; eiusdē ca. predicēs  
eis prius uenturū pditionis filiū quē nos antichristū dicimus  
& eius fallaciā in signis mēdacibus &c. Quæ uerba non ab-  
surde sumi possunt ad propositū nostrū. Fateor em̄ paruitatē  
meā sepe numero a multis pulsata quid opinarer de appariti-  
onibus quorundā spirituum in quibusdam monasterijs: cimate-  
rijs: ecclesijs siue domibus: q̄ quādoq; nō sine molestatiōe ac  
turbatiōe terribili se ostentāt: non tamē uisibiliter: lapillos: ol-  
las siue alias res projiciētes: scāna subuertētes &c. Nec tamen  
uerba eorū audiunt: nec uident oculis: & tamen tantū quoq;  
hec turbatiua exercēt ut etiā habitatores cogunt fugere & ha-  
bitatiōes solennes deserere nō sine magno dāno: de quo fate-  
or certā habere noticiā immo & compassionē cū eiusdē. Et li-  
cet oratiōes facte sūt & aliqua ceremonialia seruata: nō tamē  
cessauit illa inquietudo. Quid igit̄ de hoc possit tarditas mea  
in hac obscura materia opinari prout deus dare dignabit̄ po-  
scentibus nō negabo non p̄scribens in his certius uerius senti-  
entibus p̄testatione solēni in scholis theologicis fieri cōsuetā  
p̄ me crebrius repetita semp̄ salua & p̄missa: nec inutile p̄sua-  
deri mihi uideor aliqd̄ de talibus speculari: si tamen ueritas in



## DE ANIMABVS

his ualeat dinosci. Primo ppter turbationē hominū fidelium subueniendū. Tum ppter animarū forte ibi apparentiū sub- uentionē ut post patebit. Tum ppter fideliū ut emēdare uita suā studeāt ammonitionē. Nec em̄ puto tales apparitiōes fie- ri apud infideles siue sarracenos ; siue iudeos &c. Quia tales cause locū apud eos nō habent. Has causas inter alias nō esti- mo minimas: licet apud infideles alias apparitiones fieri non est impossibile. s. demoniorū sed nō animarū christianarū suf- fragia poscentiū. Deus em̄ & natura nihil agūt & permittūt frustra. Humiliter igit̄ aggredior hāc tenebrosū materiā q̄ in scripturis sanctis aut doctorū nō satis est digesta. Quantū ualeo tamē ad fontē ueritatis recursū habiturus exinde hau- sturus ut beniuolis lectoribus proponā ueniā petens de incul- to stilo & materia forte certificata minus p̄babilem eam affir- mans nō exprimis principijs demōstratiue deducamus. Nec em̄ hęc materia subiecta est primis principijs saltē hūanis sed uolūtati diuine q̄ humano iudicio minime obnoxia existit.

### DE Egressu animarū a corporibus humanis.

**O**ccurrūt igitur ad ppositū aliqua cōsideranda. Pri- mo de egressu animarū humanarū a corporibus per sententiā mortis. Secūdo de receptaculis & locis ad q̄ pducunt post egressum & de habitudinibus eorū. Tertia de apparitiōibus que fiunt ab animabus exitis ad hoīes uiuentes. Quarto de experimentatiōibus q̄ sint & cur ueniunt illi spiri- tus ad homines & quō dispositos expedit illos esse qui expe- riri debent illa. Quinto de ceremonijs p̄cedentibus ad istam experiētiā. Sexto de interrogatorijs ab animabus faciendis. Sep- timo quō cognosci ualeāt si uere aut fictē appareāt. Octa- uo quō sint executiōes faciende si aliqua desyderāt a uiuentibus.



## EXVTIS

Et cōsiderātibus est aduētus & recessus earum. Quantū ad primū sciendū q̄ ut patet in quorundā reuelatiōibus doloro-  
 sissima est separatio anie a corpore. Nā pena illa excedit om-  
 nes seculi penas: licet ab hominibus alijs nō sentiat̄. Cuius pri-  
 mi ratio est: q̄a naturalis appetitus anie ad corpus rumpit̄ &  
 uiolatio istius appetitus naturalis multū est penalis sicut etiā  
 in alterius morte. s. uxoris aut filiorum aut amicorū dolor est  
 grauis. Sicut legit̄ de Augusti. cui uisum fuit q̄ in morte sui  
chari amici mediū cordis ablatū fuit. Item q̄a ania antē infusio-  
 nem eius in corpus nusq̄ esse habuit sed infundēdo fuit crea-  
 ta: & creando infusa. Ignorat igit̄ quo ducetur post mortē &  
 in quo statu ponēda sit: scit quidē ex scriptura multa loca ani-  
 marū esse: sed ignorat locū sibi deputatū. Legimus etiā de ele-  
 ctorū aniabus q̄ difficile exierūt corpora: ut patet in Vita spa-  
 trū q̄ angeli descendētes ad quendā peregrinū desolatum in  
 platea iacentē qui hortabant̄ eius animā ut exiret que trepida  
 bat exire donec melodīa dulcissima de cœlo ueniēs dulcibus  
 modulis eam resoluebat a corpore: sic de pluribus legimus  
 q̄ chori coelestes auditi sunt in sanctorū obitu iubilātes. Rece-  
 dit aut̄ ania a corpore p̄pter intemperantiā corporis ex discri-  
 fiatione qualitātū & humorū in corpore. Inde sp̄itus uitales  
 per quos ania operat̄ in corpore grossescūt & deficiūt & po-  
 tentie anie tam uegetatiue q̄ sensitioe instrumētales reddunt̄  
 inabiles ad operandū quia ania nihil potest agere sine illis etiā  
 in actibus potētie intellectiue ex tertio de ania. Oportet quali-  
 bet intelligētem fantasmata speculari. Igit̄ destitutis potentijs  
 ania non potest diutius in corpore morari sicut citharista cor-  
 dis destructis nō potest citharisare & disponit̄ corpus ad aliā  
 formā per qualitates elementales. s. ad putrefactionē. Confer



## DE ANIMABVS

uatur aut̄ aīa in corpore p̄ armoniā qualitātū p̄portionata  
 rū operatiōibus humanis; & tūc uiuificat corpus manētibus  
 illis q̄bus destructis aīa recedit; sicut uidemus in mēbris pu  
 tridis q̄ oportet abscindi: ne totū corpus inficiat̄: nec tamē aīa  
 per p̄cisionē aliquorū membrorū corporis etiā partē amittit  
 sicut corpus: sed desinit uiuificare illam partē p̄pter causam  
 iam dictā quia aīa est tota in toto corpore & in q̄libet parte  
 tota: capiēdo totū cathegreumatice p̄ integro. Nec hoc cor  
 pus post aīę egressum potest uiuificare: aut uiuū fieri natu  
 raliter: etiā si esset in corpore nisi iterato redeat̄ ad primū prin  
 cipiū generatiōis sicuti prius in utero p̄ decisionē feminis a ge  
 nerate & aliud corpus organiset̄ p̄ uirtutē decisam a genera  
 te: licet uirtute diuina aīa exuta potest reuiri corpori eidem  
 sicut in lazaro & in iuene uiduæ resuscitato & thabita sicut  
 fiet in die iudicij generalis resuscitatio. Sed diceret q̄s in pluri  
 bus moriētibus nō apparet dolor: sed q̄si dormiēdo moriun  
 tur: uerū q̄dem q̄a a circūstantibus non uidet̄ p̄cora: sed nesci  
 mus q̄d intus agat̄ q̄a in corde est primū uiuēs & ultimū mo  
 riēs: & q̄a mēbra exteriora prius destituunt̄ uiribus & prius  
 priuant̄ opatiōibus suis q̄ interiora ad q̄ sanguis cōfluit. Ideo  
 exteriora desolata manēt: lingua clamare nec manus palpare  
 nec aures audire possunt: sed tota uitalis ui remanet in corde.  
 Et si possent mēbra exteriora moueri magna signa doloris ui  
 deremus. Ideo dicit Philosophus. Mors senū dulcis: q̄a ad ul  
 timā destitutionē uirū deueniūt: et in eis parua est resistētia  
 nature: & q̄diu illa resistere possunt tā diu manet aīa in corpe  
 Ideo iuuenes grauius moriunt̄ ut plurimū: & diu languētes  
 etiā cum trāquillitate moriunt̄. Ex illo relinquit̄ q̄ ex trāquilla  
 aut graui resolutiōe aīę a corpore nō potest elici status bo



## EXVTIS

nus aut malus post hanc uitam sicut quidam ignorantes arguunt quia  
 mors sequitur naturae dispositionem de lege communi secus de diuina  
 dispositione. Aliquam sancti multo penalius moriuntur quam repro-  
 bi: aliam e conuerso. Nam legimus beatum Augustinum & Bernhar-  
 dum in doloribus grauibus decessisse. Et alios etiam in tanta importuni-  
 tate obisse: ut nec corpora eorum poterant sepeliri: ut narrat Gre-  
 gorius de quodam comite qui tamen post factus fuit reprobus cum iam dudum  
 in sepulchro quiesceret ex reflagrantia odoris de corpore eius & in  
 tebritate corporis. In uita patrum legimus de duobus coniugatis  
 uiro sancto & uxore uiciosa: quorum uir cum magna in tranquillitate  
 & poena mortuus est. Mulier vero cum magna tranquillitate &  
 pace est destructa: et post reuelatum est uirum esse saluatum: uxorem  
 vero damnatam. Purget enim deus in partem electos: ut post sint securi.  
 Contra reprobos hic remunerat pro bonis eorum: ut in futurum ni-  
 de mercede sperare habeant: ut patet Luce. xvi. de diuite epulo  
 ne & lazaro sancto: credimus tamen benedictam domini matrem Mariam si-  
 ne dolore ab hoc seculo migrasse: sicut sine dolore peperit salua-  
 toris seculorum. Et sicut Ioannem: cui uirgo secus crucem erat commissa.  
 Et plures reperimus electos dei pro spiritali priuilegio a poenis  
 mortis preseruatos: ideo qui optat pacificam resolutionem sui corporis  
 possidere: studeat in innocentia uitam suam conseruare. Neque enim ma-  
 la mors: etiam si poenalis fuerit: sequitur bonam uitam. Sed quos educit  
 animas exeuntes de corpore: ex quo iam non sunt suae potestatis: oportet  
 tamen igitur quod per alios ducantur. Ad hoc licet non reperimus certam in  
 scripturis responsionem: possumus tamen estimare quod angeli quibus  
 commissi sunt ducant eas: aut si sunt damnandi spiritus tartarei: sicut  
 refert Gregorius in quarto dialogorum: de quodam crisorio diuite qui  
 in fine uitae iure iudicis circa se multitudinem demonum cru-  
 delium timorum qui exitum animae expectabant & eam ad infernum



## DE ANIMABVS

deduxerunt. Similiter in uita patrū de quodā heremita cuius animā cū tridēte ignita quidā tartareus spiritus extraxit: amaritudinē morientis expressit christus ante passionē suā quādo in oratiōe sua post cenā in orto factus est sudor eius sicut gutte sanguinis decurrētis in terrā. Luce. xxij. Talis anxietas est in moriente quādo ibi puenturus est ubi pmanebit ppetua siue bene siue male: & ignorat in quā partem sententiā diffinitua irreuocabilis declinabit. Sed an in moriente demones se semp ostenderint. Ad hoc in scripturis possumus respōsa dicere. Nā in uita sancti Martini legimus eidē sancto morituro demonē astutisse quē uidens sanctus Martinus dixit: quid hic astas cruēta bestia nihil in me funesti reperies. Grego. etiā in quadā Omelia uidetur innuere q̄ nec christo moriēte defuit sed' in illud. Venit em̄ mundi princeps huius & in me nō habet quicq̄. Etiā Beda idem uidet uelle q̄ in cruce pendēti nō defuit: in alijs etiā reuelatiōibus legimus quō p̄sentes uisi sunt demones circa moriētes sicut idem refert Grego. de Crisostomo diuite & uite seculari & carnali dedito q̄ omēs uidit undiq̄ sibi insistētes & animā tandē eius rapiētes ad inferna: quore facies tam horrēda est ut hij referunt q̄ eos uiderūt ut potius in caminū ignis ardentis p̄iicit uellent q̄ uno ictu oculi eos intueri. O quā durū erit damnatis cū talibus in igne semp arde re. Videt igitur q̄ ex pueritate demonū de lege cōmuni nolum intentatū moriturū relinquāt nisi diuina clementia fragilitatē nostram cōseruaret etiā uisibiliter se ingererēt: aut nisi angelica p̄tectione phiberent: sicut refert Cirillus scribens ad sanctū Augusti. de sctō Eusebio discipulo Hieronymi quāto infestatione eū impugnabant moriēte & negare deū ac desperare cōpellebant. De morte Hiero. ubi horrēda de tribus



suscitatis legimus. Remediū igit̃ contra demones circa moriē-  
tes non uidet̃ efficacius q̃ p̃sentia deuotarū personarū in ora-  
tionibus & legere aperta uoce passiōes christi ex euāgelij &  
simbulo ac letaniā quæ audiētes demones fugiūt sicut refert  
 Grego. in Omelia de quodā seculari in monasterio seculari-  
 ter uiuente q̃ cum ad horā mortis uenerat uidit draconē ad se  
 uenientē & caput eius in suo ore obsorpentē clamauit fratri-  
 bus religiosi p̃sentibus dicens: ecce draconi deuorandus da-  
 tus sum qui p̃pter p̃sentiam uestrā ne deuorare nō potest. Si  
 em̃ datus sum: cur p̃pter uos morā patior (cui fratres) signū  
 crucis imprime tibi: q̃bus ille uolo: sed nō possum q̃a ligatus  
 sum a dracone: tūc fratres ad terrā cadentes obnoxius incepe-  
 runt orare: sicq̃ draco recessit. Ecce orationes deuotorū circa  
 morientes multū ualent. Sed ex quo post animarū egressum  
 de corpibus mox ad iudiciū particulariter trahunt̃: potest du-  
 bitare ad quē locum ducant̃ ubi iudicant̃. Nec em̃ credendū  
 est q̃ sursum ad ccelū omnes ducant̃ ibi sententiā expectātes  
 maxime de reprobis & mox sententiā p̃cepta ad inferna p̃ici-  
 ant̃. Nec em̃ dignitas animę p̃ter se hæc fieri patitur sed̃ in re-  
 ctam rationē: sic nec de antiabus purgādis q̃ relabant̃ de cœ-  
 lo ad purgatoriū deorsum. Ad hoc itaq̃ uidet̃ respondendū  
 q̃ sicut quilibet rex in qualibet parte regni sui iuste locū iudicij  
sibi potest uēdicare ad placitū: sic deus q̃ nullo loco comp̃hen-  
dit̃ in quocunq̃ loco potest iudiciū particulare exercere ani-  
 marū: nobis ignorātibz maxime: q̃a hoc instanti credēdum  
 est fieri cōscientijs apertis tanq̃ libris in q̃bus manifesta erūt  
 abscondita cordis nostri: nec excusationi: nec interrogationi lo-  
 cus erit: sed tantum sententię audiende: licet generalis iudicij lo-  
 cus credit̃ fieri in loco ubi christus ascēdit. s. in ualle Iosaphat:



## DE ANIMABVS

circa montē oliueti: ubi & Maria sepulta fuit: secundū Hiero:  
 ut dicit Ioelis. iij. Credendū est tamen q̄ anīe perfectōrū mox  
 post egressum ad ccelū uolabunt secundū illud Pauli. Desyde  
 riū habeo dissolui & esse cū christo: sic anīe infidelū mox ra  
 pīant ad infernū sine iudicio discussiōis: quia q̄ nō credit iam  
 iudicatus est signū damnatiōis secū afferens infidelitatē quasi  
 ad deū non pertinens nec ad mēbra eius. Per angelos autē bo  
 nos & malos credendū est omnia ista administrari: licet lega  
 mus in multis reuelatiōibus quō post egressum animarū di  
 spolita & ordinata sunt tribunalia p̄ iudice ad sententiā feren  
 dam contra anīas adductas & magnus apparatus exercitū  
 ibidē aduenit. sed hec uisiōes facte: credunt ad ammonitiōē  
 uiuorū qui nō possunt percipere inuisibilia nisi per signa uisibi  
 lia: sicut Grego. dicit in quarto dialogorū. O quātus terror &  
 ineffabilis inuadere tunc credēdus est anīas iudicandas uiden  
 tes iustissimū iudicē & se multis peccatis obnoxias: nec se pos  
 se excusare: ubi tūc fugere erit impossibile & apparere intolle  
 rabile & nullū ipsis superest cōsiliū uel auxiliū: nisi sententiā  
 iudicis incertā & irreuocabilē audire: tunc certe melius multis  
 fuisset si nati nō fuissent aut serpētes aut rane fuissent. Utinam  
 ille terror semp ineffet mortaliū peccatoribus: nec sic curret  
 ad platuras: ad dignitates uoluptates quae agent rationē tunc  
 credendā iudici. Vellēt tunc multi pōtifices: reges & alij in di  
 gnitatibus cōstituti q̄ fuissent pastores ouīū bubulci & oīm  
 ultimi. Vnde dicit Augustinus. In magno animarū periculo  
 uiuimus. Et Augustinus libro cōfessionū. Adhuc modicū lu  
 men est in christianis hoc ante mille annis dixit: qd̄ hodie dice  
 re si uiueret Legimus de quodam anthonitano episcopo qui  
 adductus ad iudicem anteq̄ p̄pinq̄aret seipm̄ dixit dignū



## EXVTIS

simū inferno: & petiuit ut p̄sentaret iudici. Sed heu tā nō ex-  
 trabile tonitruū: pauci modo aduertūt. Vnde nō solum dor-  
 miunt: sed & mortui & quasi ebrīj nō exp̄giscunt. Ideo canit  
 ecclesia: quid ego miserimus dicā uel quid faciā dum nil p̄fe-  
 ram ante tantū iudicē: tremefactus sum ego & timeo dum di-  
 scussio uenerit atq; uentura ira. Consolendū est igitur cuilibet  
 q̄ p̄uideat sibi tempore gratiæ dum uacat secundū illud lo-  
 annis p̄genies uipperarū: quis dabit uobis fugere a uentura  
 ira & audiat consiliū eiusdē. Facite igit dignos fructus penitē-  
 tiæ. Matthei & Luce. iij. O horrendū uere erit incidere in ma-  
 nus dei uiuētis. Ad hebreos. x. quādo potētes potēter tormen-  
 ta patiant̄. Sapiētē. vi. & districtissimū fiet his qui p̄sunt hoc  
 de abutētibus dignitatibus. s. ambītiōis saluis: his qui utiliter  
 & humiliter student deo in suis statibus deseruire.

De Receptaculis & locis ad quæ perducunt post egres-  
 sum & de habitationibus suis.

**S**ciendū q̄ scđm doctor̄ dicto ex quarto sententiarū  
 quattuor distinguunt̄ receptacula seu loca ariar̄ post  
 hanc uitā: scilicet tria perpetua & unū temporale. Pri-  
 mum est ccelū empirreū: qui est locus beator̄ qđ in scriptu-  
 ris paradīsus nominat̄ p̄pter sui claritatem & iocunditatē. Se-  
 cundū est infernus sub terra creditus scđm Grego. iij. dyalo-  
 gor̄: Vbi ponent̄ demones infideles: adulti & pueri christia-  
 ni in mortali peccato sine poenitētia hinc exeuntes. Tertū est:  
 limbus puerorū tam fidelīū q̄ infidelīū: hinc sine baptīsmatis  
 sacramēto exeuntiū qui om̄es pari sorte iudicant̄: qui quidem  
 sine poena sensibili p̄petue ibi uicturi sunt: sed facie dei priua-  
 bunt: ex quo p̄ originali solo puniūtur poena damni: nec aliq̄  
 actualia peccata addiderūt: quor̄ corpora nō debēt in cimi-



## DE ANIMABVS

terijs sacratis post mortē sepeliri. Quartū est purgatoriū qđ  
 græci pleriq; negauerūt: sed male p illis qui hinc exeunt sine  
 mortalibus: aut si cōmiserunt mortalia tamē penituerunt: sed  
 nō plene satisfecerūt aut cum uenalibus solis hinc exierunt. Et  
 hoc habet testimoniū ex scripturis sanctis. Nā Paulus. i. Co  
 rinthiorū. iij. Tria genera horū ponit. s. lignū: fenū & stipulā q  
 tardius & citius de igne cōsumūtur: tales salui erūt: sic tamen  
 quali p ignem & christus q dicit in spiritūsanctū blasphemā  
 dixerit: neq; in hoc seculo dimittet neq; in futuro. Sunt igitur  
 aliqua in futuro seculo remittēda & nō mortalia: igit uenalia  
 nec obstat hoc illi dicto Gregorij lib. iij. dyalogorū & habet  
 trāsumptiue in canone distinctiōe. xxv. Qualis quisq; hinc  
 egredit talis in iudicio p̄sentat. Nam hoc hic p̄meruit: ut sibi  
 in futuro peccata dimittant. Quæ aut sint maiora aut mino  
 ra: habet in canone distinctiōe. xxv. Est aut poena purgatori  
 scđm quosdā eadem cū poena inferni: licet terminū illa habet  
 ista aut non. Sed nō dubitatur acerbissimā esse poenā purga  
 torij. Vnde dicit Augusti. in canone p̄dicto. Qui licet non sit  
 eternus ignis s. purgatorius: miro tamē modo est afflictiuus.  
 Excedit em̄ omnē poenam quā hic unq; aliquis passus est: aut  
 pati posset & in epistola Cirilli ep̄i ad Augustinū dicit q̄ ma  
 let q̄libet q̄ illam poenā expertus esset omnē poenā huius mū  
 di quā omēs homines ab Adam passi sunt: pati usq; ad diem  
 iudicij quam minimā illarum poenarū p unā diem: & dicit Ri  
 chardus q̄ modica poena p peccatis uolūtariē assūpta plus li  
 berat ac satisfacit p peccatis q̄ magna poena in purgatorio q̄  
 nō simpliciter est uolūtariē assumpta sed inflicta: Et allego Al  
 gasel. v. phisicorū capitulo quarto q̄ dicit: q̄ poena purgatori  
 est cruciatus ineffabilis. de hoc lib. iij. sententiarū: distincti. xx.

*Quæstio p̄  
 Quæstio p̄  
 gatorij.*



EXVTIS

Q̄ difficile aut sit euadere hoc purgatorium ex uno testimo-  
 nio christi facile pp̄edi potest. Dicit em̄ Matthei. xij. Om̄e uer-  
 b̄ ociosum qđ locuti fuerint homies reddēt rationē de eo  
 in die iudicij: ociosum est qđ utilitate aut necessitate caret: &  
 qđ difficile sit minima & uenialia cauere: ac plenā poenitētiā  
 pro mortalibus agere: satis apparet in humana cōuersatione.  
 In. iij. dyalogor. Gregorius enumerat quedam uenialia. s. ioc-  
 us assiduus: ociosus sermo: immoderatus risus: peccatū cure  
 rei famularis: quæ uix sine culpa agūt: etiam ab his q̄ culpam  
 qualiter declinare debeant sciunt. aut nō in grauibus rebus er-  
 ror ignorāt. Quis ergo de istis & similibus poenitet: aut sal-  
 tem p̄ aliquo reputet: & tamen oportet qđ ignis talia pbabit.  
 Scimus istā magistralē regulā. Nullū peccatū dimitti sine con-  
 tritione actuali siue habituali: in generali siue in specie etiā ue-  
 niale. Cōtritio uero requirit dolorē de admissō: & p̄positū de  
 non cōmittendo & in posterū abstinēdi. Cōsideret se qlibet  
 an in quolibet ueniali sibi ista duo assunt. s. dolor de cōmissō  
 & firmū p̄positū abstinēdi in posterum. Si hæc semp nobis  
 adessent: nō sic celeriter relaberemur in prius dimissa. Inde iā  
 daret ueritas illius dicti Augustini: nullū adeo ueniale quin si-  
 at mortale si placet. Et habet in canone distincti. xxv. dura ui-  
 det̄ hec auctoritas: sed tñ bene intellecta uera est & uis ponen-  
 da est in hoc uerbo placet. Est duplex placētia hois: quedā nō  
 repugnās diuinę placētis: & de hac noluit hic Augusti. intelli-  
 gere. Illo modo placēt ea q̄ hominis sensualitatis sūt. Subiecta  
 tñ rationi q̄ mox cedūt ratione imperāte: aut diuina lege aliud  
 suadēte. Et sic uenialia placēt: ut uerba iocosa: risus: somnus eti-  
 am imoderatus & c. Alia sunt placētia cōtra: aut sup rationem  
 aut diuinā uolūtatem quorū actus in se nō sunt cōtraria uolū-



## DE ANIMABVS

tati dei expresse: sed cor sic fixe adheret illis p̄ delectationē: ut si etiam sciret deo nō placere: adhuc nollet suam delectationē frāgere nec ab ope cessare: sed p̄seuerare uellet in sua uolūtate cōtra dei uoluntatē: etiā si p̄ciperet contrariū & in illo uolūtas auersa est a uolūtate dei p̄ceptiua quæ auersio est formale in om̄i peccato mortali & nō esset mortale: nisi esset ista auersio. In talibus ponūt doctores exēplū in histrionibus: in choreis in continuis potatoribus: in ioculatoribus: & dimicatoribus &c. In q̄bus quidā totam uitā & cōplacentiā ponūt: finem in his cōstituentes: etiā si a deo essent p̄hibita cessare aut p̄cēnitere nollēt. Vnde assiduitas & cōtemptus uitādi & in quantū illa redundāt in diuinā offensam absq̄ alio motiua. Ista uenialia in se opera sūt mortalia p̄pter auersam uolūtatis hominis a dei uolūtate. Nā diuina uolūtas secundū Augu. sup̄ psalmū. Est regula omniū uoluntātū secundū quā om̄es hominū uoluntates rei debent. Nam nihil deus querit in actionibus nostris: nisi suā uolūtātē teste Samulei: Melior est obediētia q̄ uitētima. primi Regū. xv. Neq̄ em̄ deus uoluit: ut Ysaac occideret cum p̄cepit Abraę ut eū immolaret: sed uolebat ut uoluntas Abraę esset cōformis diuine uolūtati: ut exitus rei p̄bauit. Et Osee p̄pheta accepto mādato a deo ut fornicariā mulierē acciperet: si non obedisset mortaliter peccasset. In om̄ibus igit̄ dei p̄ceptis non querit nisi diuina uolūtas qua mutata iam p̄cepta nō sunt p̄cepta: ut patet in circūcisione & legaliū obseruatione. Et Bern. dicit in sermone de sancti Pauli cōuersiōe. In peccatis uoluntarie manere: nec uelle p̄cēnitere: nec corrigere: etiā minima leuiac̄q̄ peccata blasphemia est & peccatū in sp̄itū sanctū irremissibile. Est tñ aliqua uolūtas dei cōsultiu aquā nō semp̄ tenemur seq̄: ut in consilijs euāgelicis. Alia p̄ceptiua



& in hac tenemur nostrā eidem cōformare non sem̄p̄ in uolē  
 to: sed in mō uolēdi. i. uelle debemus illud qđ ipse uult nos  
 uelle: ut patet in libro sententiarū circa finē. Ecce t̄p̄ caute p̄spi  
 ciendū est: ne incidamus tam purgatoriū quā etiam infernū.  
 P̄dictos modos auerſe uoluntatis nō omnes cōſyderant &  
 credo qđ plures sunt in p̄ſenti uita: quorū uoluntas eſſet: ſi p̄pe  
 tue poſſent hīc uiuere in dignitatibus: uoluptatibus &c. nihil  
 curarēt de p̄miſſione foelicitatis eterne. Hī tales finē ſuū po  
 nūt in tēporalibus: nec ſe peregrinos agnoſcūt & credo qđ in  
 magno periculo animarū uiuunt p̄pter intentionē rebus in  
 herentē. Eſt em̄ in iſtis auerſio a deo & cōuerſio ad mutabile  
 bonū q̄ ſunt mortalia peccata. Circa hoc receptaculū. ſ. purga  
 toriū eſt ſciendū qđ unus locus generalis creditur eſſe: in quo  
 anīe poſt egreſſum a corpore p̄ducunt regulariter in inferio  
 ri p̄te terre: ubi & credit eſſe infernus ſc̄t̄m Grego. iiii. dyalo  
 gorū. Iſte locus tenebroſus plenus eſt acerrimis poenis: licet ſi  
 niunt & terminū habent & ſecundū aliquos ponit idē locus  
 eſſe qđ eſt infernus: licet poene ſunt differētes & terminus ſecū  
 dū merita & demerita aiarū. Legimus t̄n ſup̄ terrā: etiā plura  
 eſſe loca poenarū in q̄bus anīe defunctorū purgant̄. Et illa pur  
 gatoria ſūt particularia ex ſpeciali cauſa ip̄is a deo attributa uł  
 deputata ante diē iudicij: ſed poſt diē iudicij oīa purgatoria tā  
 generale t̄p̄ ſpecialē ceſſabūt. Refert Greg. iiii. dyalo. de paſca  
 ſio ſedis ap̄licę dyacono mirę ſanctitatis uiro: ut etiā quidā de  
 moniacus eius dalmaciā feretro ſuppoſitā tangēs ſanatus eſt  
 Poſt multū t̄p̄o t̄p̄is cuidā Germano capitano ep̄o cauſa ſanā  
 di in balneis calidis ingreſſo eundē paſcaſium ſibi miniſtrantē  
 recepit: quē uidēs ep̄s obſtupuit: & qđ ibi tantus uir ageret in  
 quiſiuit. Cui ille reſpōdit: p̄ nulla alia cauſa in loco iſto depu



## DE ANIMABVS

tatus sum nisi q̄a in parte Laurentij cōtra symachū papam tē-  
 pore scismatis consensit: sed p̄cor te pro me de p̄care deum: &  
 in hoc cognosces q̄a exauditus sis si huc rediens me nō inue-  
 neris: qd̄ ita factū est q̄a non malicię sed ignorātię errore pec-  
 cauerat. Narrat etiā ibidē de duobus egrotātibus in diuersis  
 locis: quorū unus misit in alium nunciū dicēs: uade & dic Ste-  
 phano ut cōcitus ueniat quia ecce nauis parata est ut ad Sicilia-  
 am pariter duci debeamus: nuncio in itinere cōstituto Step-  
 hani morit̄: & s̄iſt̄ alter qui nunciū misit mortuus nunciā: &  
 sic ambo uno momēto uocati: sed cur ad Sicilia. Dicit Grego.  
 quia in Siciliae insulis eructuant ignes tormentorū: ut narrat q̄  
 nouerūt & laxatis cōtinuo funibus dilatant̄: & quanto termi-  
 nus mūdi appropinquat: tātō plures aīas exurēdas illę locus  
 detinet: & hoc fit ad uiuentū correctionē ut etiā sensibilier ui-  
 deant q̄ credere noluerūt: & similia idē narrat Grego. Petrus  
 etiā Damiani sanctitatis magne & sciētię uir narrat quō que-  
 dam clericus Coloniēsis quodā tēpore uadum fluminis p̄tra-  
 sibat: & uidit sct̄m̄ Severinū Coloniēsem ep̄m̄ nup̄ defunctū  
 celebris sanctitatis uirū etiā miraculis choruscante in Colonia  
 apud eius sepulchrū: q̄ tenuit frenū clerici ne ulterius trāsiret.  
 quo uiro clericus obstupuit & cur ille tantus uir teneret̄ inq̄si-  
 uit dixit ep̄s: da mihi manū tuā & q̄ circa me sunt non audie-  
 tu sed tactu discē. Cūq̄ dictā manū clerici fluctibus imp̄ſisset  
 in ictu oculi: tātus ardor eam oborbuit ut undiq̄ carnes eius  
 resolute diffuerent & ossa nuda uix herētibus artibus rema-  
 neret: ad quē clericus cū tam celebris fame & nomen tuū toti-  
 us ecclesie p̄conijs celebrat̄ cur pestilēs hęc uorago te cōſtrin-  
 git tātocq̄ prohdolor incēdij ardore hic cruciaris. R̄ndit Se-  
 uerinus nil aliud in me remāsit ultione plectēdū: p̄ter hoc tan-



tum q̄ horas canonicas p̄ distincta horarū spacia non p̄solui  
 qa in aula Imperatoris cōstitutus cōsilijs secularibus uehemē  
 ter me implicauī. Nā mane om̄ia simul coaceruās tota die ne  
 gocijs ingruētibus uacabā. Ideo huius ardoris fero suppliciu  
 sed omnipotentis dei utriq̄ imploremus clementiā: ut manū  
 tuā pristine restituat sanitati: qđ statim factū est & dixit ad de  
 ricū: Vade inq̄t fili obsecra fratres ecclesie nostrae & alios spi  
 rituales uiros ut p̄ me p̄ces fundāt: indigētibus subsidia confe  
 rāt: sacrificiorū uotis insistāt. His em̄ peractis ego mox de uin  
 culis harū poenarū expediar: & expeētibus me beatorū ciui  
 bus letus adiūgar: deus ista reuelat etiā in sanctis ut oēs curre  
 re debeamus: qa sanctitate lōge distamus: qa si in uiridi sic pu  
 nit in arido qđ facturus est. Ecce expauescāt tam legētes q̄ au  
 diētes si tantę sanctitatis uiro occupatus p̄ cōmuni utilitate im  
 periali nō meruit excusari coniūctim & simul dicēdo horas si  
 adhuc grādia igniū tormēta sustinuit: qđ putandū est de mul  
 tis in nostra etate q̄ nulla necessitate seu utilitate cōpulsī: sed uo  
 luptatibus & uanitatibus uacantes ut secundū mandatū eccle  
 sie etiā horas coniūctim dicere uellēt: sed postq̄ senserint tales  
 ignes tūc uexatio dabit eis intellectū qđ uiuētes facere debuif  
 sent. Est & aliud receptaculū nō animarū sed spiritūū immun  
 dorū. scilicet caligo tenebrosa huius aeris: in quo innūerabilis multi  
 tudo demonū usq̄ ad diē iudicij detinet̄ p̄pter exercitiū ho  
 minū. Ex reuelatiōibus nō dubitant inhabitare demones me  
 diū intersticiū aeris qđ est frigidū & tenebrosū: & uisi sunt  
 a sanctis tanq̄ apes hoīes circūiri: sed & angeli uisi sunt eos a  
 nocumētis p̄hibētes & alter sanctus pater uicit sup̄ quoddā  
 monasteriū innūerabiles demones & sup̄ grandē ciuitatē so  
 lum unū ociosum & dictū est illi. Ille unus solus sufficit tenta



## DE ANIMABVS

tort: q̄a omnes faciūt eius uoluntatē. In clauſtro uero rebelliat  
 demonibus & ideo multos habēt tēratōres. Nec ideo demon-  
 nes in aere carent tormētis inferni: immo ſecundū Glo. ignē  
 ſemp ſecū ferunt: q̄ ignis nō agit ſecundū uicinitatē locorū: ſed  
 ſicut instrumentū diuine iuſticię: q̄ iuſticia ſequit̄ meritū uel de  
 meritū nō locū. Sed querūt doctores. iiii. ſn̄iarū. Animę exire  
 corpibus p̄ quos purgant̄ in purgatorio. Ibi diuerſi diuerſa  
 dicūt: nec magna queſtio de hoc faciēda eſt. Solū curandū eſt  
 ne aliqd̄ nobiſcū purgandū afferamus: q̄a non deerunt torto-  
 res. Credo tamē p̄ angelos bonos deportari ad loca tormen-  
 torum: ſed nō eos punire q̄a ſunt eorum cōciues proxime fu-  
 tūri: nec etiā per demones: quia iam eorū officiū tentendī expi-  
 rauit: ſed per diuinam iuſticiā ut eſtūmo puniunt̄: licet forte de-  
 mones poſſunt eſſe p̄ſentes & quaſi de p̄cenis earum gaudē-  
 tes hoc tamen non diſſinio. Hęc eſt ſentētia Richardi de me-  
 dia uilla in ſcripto quarti. diſtinctione. xx.

De Apparitionibus ſpirituū poſt egreſſum a corporibus.

**S**ciendū experiētia & ſcriptura cogit fateri q̄ ſpiritus tā  
 bonorū q̄ reproborū aliquando ueniūt: aut mittunt̄ ad  
 uiuētēs: ut ſolet p̄ doctores p̄tractari quarto ſentētiarū.  
 diſtincti. xlv. pro quo notat Petrus de tharentaſio ſecundū le-  
 gem cōmunē: ſic omēs in die iudicij exhibūt: nullus ante exhibit  
 de inferno. ſecundū uero diſpenſationē diuinam creditur ali-  
 quos poſſe exire: etiam de inferno ad tēpus ſecundū dei placitum  
 ad eruditionē & terrorē hominū uiuentiū nō imp̄petuū  
 ſed ad tempus. Nam Iacobus de Voragine in ſuis ſermoni-  
 bus dicit: q̄ Ariſtotiles poſt mortē ſuam apparuit cuidam di-  
 ſcipulo ſuo qui reſquiuit quid ageret: an adhuc diſputaret. Re-  
 ſpondit q̄ nihil modo ſcīret niſi p̄cenas quas ſentire cogere



tur: & tamē Augustinus dicit cum esse damnatū super psal-  
 mo: Absorpti sunt iūcti petre iudices eorum. Dicit compara  
 Aristotilē Christo: absorptus est: tremuit apud inferos. Item  
 legitur & fama de quodam magno theologo qui pluribus  
 beneficijs ecclesiasticis dotatus erat: cui summus episcopus p-  
 suasit ut resignaret alijs uno retento: qui respōdit. Tentabo: si  
 cum pluribus beneficijs poterit quis saluari. Mortuo eodem  
 infra mensam apparuit eidē episcopo studentī quasi umbra  
 terribili cum gemitu dicēs: Ego sum: heu heu miser iste theo-  
 logus in eternū damnatus qui supbiā & pompā seculi dilexi  
 & p̄bende non p̄fuerūt mihi. Et addidit querēs ab episcopo  
 Est ne aliquis sup uiuens in seculo? Respōdit episcopus quō  
 tu tantus clericus ista queris: ut tam cito queras mundū finitū  
 Nam defuncti naturalia. s. ingenium: memoriā: rationem nō  
 amittūt. At defunctus certe inquit: ex quo defunctus sum tan-  
 ta infinita multitudo animarū corruit in infernū q̄ tot homi-  
 nes non credo uiuere in mundo. Preterea tantus est dolor &  
 anxietas in damnatis q̄ nihil penitus retinēt in memoria nisi  
 sensum doloris: & pro una die uidet nobis q̄ arserimus mille  
 annis: hæc memorię cōmendanda sunt & nulla obliuione de-  
 lenda: si tamen ueritas militat p̄ isto. Fateor me talia legisse &  
 apd̄ multas fama. De nūero v̄o beatorū frequēter legimus  
 in omelijs Grego. & in lib. iij. dialog. apparuisse sc̄tōs Petrū  
 Paulū & alios sc̄tōs in cōsolationē fidelīū & aias eorū ad cœ-  
 lū p̄duxisse. Et Augu. dicit in lib. de cura p̄ mortuis agēda de  
 sc̄tō Felice martyre q̄ ciuibus nolans uisibilit̄ apparuit cū a  
 barbaris oppugnarent: sic etiā credendū est de his qui in pur-  
 gatorio sunt q̄ per diuinam permissionē a suis receptaculis  
 egresse conspectibus hominū apparent; non tamen quan-



## DE ANIMABVS

docq; aut quotiēscunq; uolunt & hoc ad suffragia expetēda:  
 aut ad uiuos monēdos: ut ex p̄cedentibus clare potest. Nam  
 dicit Augustinus in prefato libro de matre sua. Si rebus uiuē-  
 tium uterētur animę mortuorū: ut de alijs taceā me ipsum pia  
 mater mea nulla nocte deseret: quę dum uiueret terra maricę  
 me secuta est. Sed cur tam raro apparent uiuētibus: uideēt mi-  
 hi q̄ forte merita uel earum uel hominū uiuentiū hoc impe-  
 diūt aut demerita. Vel forte sic crebrius apparerent putarēt  
 soli illę saluandę uel damnandę sic apparentes. Etiā propter fi-  
 dem uiuentiū: ne illa euacuaret quę est de inuisibilibus. Dixit  
 enim Abraam ad diuītē postulātem: ut Lazarus mitteret ad  
 quinq; fratres suos: habēt Moysen & pphetas ut audiāt illos  
 Sed expedit eas aliquādo apparere: ne puteēt deus oblitus ui-  
 uorum uel nullū gerere curam de uiuis seu mortuis: sed an sit  
 peccatū petere aut desyderare: ut se uiuis p̄sentent. Respondet  
 om̄e peccatū saltem est contra uoluntatē dei: & cōtra dei p̄p̄-  
 cepta: & hoc in p̄senti nō apparet: si nō ex leuitate uel uanitatē  
 sed ex ip̄a intentione ad sciendū statum alicuius amici: aut  
 benefactoris aut parentū procedat: ut suffragia eis impendan-  
 tur ad citius liberādū de p̄cenis. Et hoc apparet ex eo q̄ anime  
 defunctorū sponte se uiuis rēp̄sentent: ut dictum est pro sub-  
 uentione. Cur ergo hoc nō posset peti a deo: & hęc est sentē-  
 tia sancti Thome. Nec hoc est tentare deū: quia fit p̄pter utili-  
 tatem animarū. Nec alio modo sciri potest nisi p̄ reuelationē.  
 Nec fit propter lucrum temporale: nec intendit sumere expe-  
 rimentū: an deus potest hoc facere sicut filij israhel deū in de-  
 serto tentauerūt. Sed hoc petitur ut deus qui potest etiam ue-  
 lit ad dei honorem. Hęc om̄ia q̄ dicta sunt cōueniunt in tenta-  
 tione uiciosa a deo prohibita: non tentabis dominū deū tuū.



## EXVTIS

Matthēi. iiii. nec est contrariū illi prohibitioni: nec a mortuis ueritatē inquiras: q̄a hic non supstitiose: nec diuinādo: nec deum tentādo aut uane inquirēdo: sed fideliter & utiliter ueritas indagatur. De locis uero ubi se isti spiritus soliti sunt p̄sentare uidentibus nō puto dari determinatā regulam q̄a hoc nō cadit sub arte humana: sed existit in sola dei uoluntate. Cuius ratio non est inquirēda alia nisi quia ipse sic uult fieri: sic nec de alijs quorū ratio in scripturis nō continet: ut cur in uno loco fiunt miracula: in alio non: & cur aliquos christus sanauit: aliquos nō. In istis sicut Augu. dicit ad plebem Iponē. Nullus potest scrutari consiliū dei: posset tamē uideri ratio cōgruentiē ut p̄pter aliquorū merita uel demerita aliq̄e anīe citius suffragia p̄cipere ab amicis possent. Alię uero in locis occultis p̄ductus puniri: ubi nulla nisi cōuenientia suffragia p̄ciperent. Credēdū em̄ est multorū imp̄fectiorū animas citius liberari a poenis purgatorij quę se cū parua purganda portauerūt q̄ aliorū multę p̄fectiorū qui secū plura purganda attulerūt & tardius liberant: sed post liberationē earum multo excellētius in celo remunerant scđm dicta doctorū: quia citius liberari a poenis & amplius premiari non semp pari passu currūt: quia alia & alia respiciunt. Vnde multo sc̄licior is censet̄ qui tardius liberatur & excellētius p̄miatur q̄ alter: ecōuerso qui citius liberatur & minus remunerat̄ quia unū est tēporale & accidentale aliud p̄petuū & essenziale. Vnde sicut dicunt doctores: quilibet anteq̄ uellet carere minima portione glorię in cœlis: potius uellet om̄es poenas mundi usq̄ ad diem iudicij tollerare. Neq̄ em̄ semp in locis ubi peccauerūt: credendū est animas puniri: ut p̄cedentia p̄bant: licet hoc aliquādo legat̄ factū fuisse: ubi cūq̄ tamē sunt poenę eas sequūtur: sicut dicimus de de-



## DE ANIMABVS

monibus q̄p̄ infernū & poenas inferni secū portant: de tēpore uero apparitionis animarū quo ad earū reuelationē: credo q̄p̄ hoc iterū pendet ex diuina uolūtate: licet frequētius legamus t̄p̄e noctis: tales fatas, p̄pter quietationē sensuū exteriorū & curarū secularium cessationē: quādo homo magis est capax ipsarū ac magis dispositus. Idē de Abraam Iacob & Daniele legitur: q̄p̄ tēpore noctis facte sunt eis reuelatiōes damni. Tūc Danieli nocte p̄ uisionē factū est mysteriū: sicut & Nabuchodonosor regi eodē capitulo & Ioseph: similiter Gene. xxxvij. Sisir & Pharaoni regi egypti: sed hoc nō est de necessitate: sed cōgruitate. Reperiunt etiā t̄p̄e diei se animę reuelasse & ostendisse. Quāntū autem est de se semp̄ paratę essent se ostendere propter celeriorē liberationem. Apparent aut̄ diuersis modis nō quidem semp̄ uisibiliter in corpore: aut in effigie corporali: sicut demones legunt̄ in assumptis corporibus apparuisse: ut in uita sancti Martini legit̄ &c. sed etiā inuisibiliter: ut solum sonus uox aut strepitus percipiāt a uiuētibus. s. percussio: proiecctio: sibilatio: aut sternutatio: gemitus: luctus: plāctus: aut plausio manūū: ut attētos reddāt homies ad inquirendū & respondendū. Vnde creditur q̄p̄ i locis separatus ab hominibus nō se ostendūt saltē ista causa. scilicet liberationis: quia cessante causa cessat effectus: licet in locis seorsum possunt puniri: ut dictū est: & quia non est p̄portio inter animā uiuentē in corpore: & animā exutam a corpore. Ideo semp̄ cū terrore apparēt uiuentibus: nec mirū quia angeli sancti nō nisi cum terrore magno etiā sanctis apparuerūt: sicut Gregorius in Omelia quadam testat̄: de quodam sancto moriēte: pro cuius anima deducenda angelorū chori percepti sunt a circumstantibus: qui poene omēs terrore percussi fugerūt. Et Daniel sanctus: uiso



## EXVTIS

angelo pauens corruit in faciē suam languit & egrotauit per  
 plures dies: & nihil in eo remansit uirium. Dañ. viij. & .x. cap.  
 Ideo forte non om̄ibus hominibus expedit indifferenter tali-  
 bus reuelationibus interesse: nisi ualde fortiter cōplexionatis.  
 qui non de facili terrētur: quia per experiētiā puto sciri: q̄ ali-  
 qui uisis istis: aut locis pœnalibus incurabilem inciderūt infir-  
 mitatem. Oportet ergo esse dispositos tam corporis comple-  
 xione q̄ in animę purgatiōe: qui de his inuestigare uolunt: &  
 de hoc postea uidebit. Nec tamē negandū quin quādoq̄ ui-  
 sibiliter apparent: tam animę peruersorū q̄ iustorum. Nam le-  
 gitur de quadā moniali asperam uitam in ieiunijs & orationi-  
 bus ducēte quæ. xxx. die suo confessori nigerrima & horribi-  
 lis apparuit (cui confessor) nos te putabamus sanctā. quomo-  
 do nunc sic appares: quæ dixit se damnatā propter uanitatē  
 & superbiam: quia nullam sibi similit̄ estimauit omnes iudican-  
 do super om̄es se extollendo: ideo ad infima cecidit nuncq̄ re-  
 dimenda. Quod etiā de animabus in purgatorio existētibus  
 fieri: nō est incredibile. s. q̄ appa: ēt aliquādo uisibiliter. Vnde  
 ex forma apparendi facile potest dephēdi: an sint animæ iu-  
 storum aut reprobōrū. Cur aut̄ animę acerbissimę sic puniū-  
 tur post egressum: rationē ponit Richardus. Primo q̄ animę  
 illę non retardant̄ male corporis: ideo uehēmētissime desyde-  
 rant deo uniri per fruitionē: & quanto intensius est alicuius  
 desyderiū ad rem: tanto maior est pœna si differtur. Nam sci-  
 mus ex philosophia natura: i: q̄ motus naturalis in principio  
 est remissus: & in fine intensio propter naturale desyderium  
 pertingēdi ad terminū ad quem: in quo mobile quiescit: ut pa-  
 tet in casu lapidis deorsum. In quarto cœli habetur: q̄ motus  
 naturalis fit per lineā breuissimā: ut mobile citius ueniat ad



## DE ANIMABVS

motū naturalē. Si in p̄senti de aniabus post egressum quæ na-  
 turaliter appetunt cōiungi suo principio. s. deo maxime quia  
 uident tēpus coniuñtionis aduenisse nisi aliqd obstaret. Item  
 ex eo q̄a tanto maior est lesio quāto maior est lesiōis apphen-  
 sio: sicut delicati plus affligunt per paruas plagas quā grossi  
 rustici per magnas & aniaē exutē existētes in poenis sunt for-  
 tiores appheniōis q̄ dum erant pmixtē corporibus: q̄a iam  
 puriores q̄ prius. Itē quia tota lesio & sensatio lesionis in cor-  
 pore causat ab ania: ut patet quia post separationē corpus ni-  
 hil sentit: igit̄ si aliqd ledens agit in animā ipsam maxime affli-  
 git post separationē. Item q̄a post egressum anie tam forum  
 iudicij mutatū est q̄ forum ecclesie militatis. Ideo grauius ibi  
 puniunt̄. Etiam ille ignis incōparabiliter magis actiuus est q̄  
 ignis p̄sens: nam uidet̄ uelle Augustinus q̄ sicut ignis pictus  
 se habet ad ignem apud nos: sic ignis noster se habet ad infer-  
 nalē uel etiam purgatorij quasi nullius cōparationis. Et tamē  
 cuilibet uideret̄ q̄ grauissime puniret̄ si ferrum candēs in ma-  
 nu uel in alio mēbro ad t̄ps unius medię horę: aut minus tol-  
 lerare deberet: sed heu hoc hoīes parū ppendunt. In sequenti-  
 bus tamē deo dante habebit̄ quō iste ignis ualeat p̄caueri.

De Inquisitoribus seu experimētatoribus harū anima-  
 rum: & quō expediat eos esse dispositos: &  
 de cgrimonijs ad hoc requisitis.

**D**ocentur ex sacra scriptura non casum nec in omnē  
 euentū factas fuisse reuelationes secretorū diuinorū  
 nec indifferēter cuilibet qualitercunq̄ disposito: sed  
 sub certis modis & certis p̄sonis & hoc etiā experientia quo-  
 tidiana docet. Nam nō oībus se repp̄sentāt anie exutē: nec omi-  
 bus respondēt se inter multos uiu uni eorum sicut compertū



est. Et ad hoc uidentur prout ualeo alijs tradere sine preiudicio aliorum. Legimus uiris sanctis & patriarchis & prophetis reuelationes factas: sicut Abraam Ysaac Iacob Samueli & ceteris prophetis: ut latissime declarat in sacris scripturis. Legimus regibus tam fidelibus quam infidelibus & pueris idolatris factas reuelationes: ut de Ezechia David Iosia & ceteris. Pharaoni Nabuchodonosor Balthasar Ahas Achab Sauli & ceteris. ut patet legenti sacras scripturas. In hoc diuina prouidentia semper dignata fuit consulere communi utilitati: non solum fidelium sed & infidelium: qui solent suum oriri facit super bonos & malos. Speculandum igitur est cur fiunt tales reuelationes magis his qui presunt communitati: aut quorum merita hoc exigere uidentur: & qui possunt communitati prodesse & prodesse: de qua cura est deo: ut etiam per peruersos. scilicet Balaam & Caiphā suam ueritatem declarare non desistat: ut scriptura testatur. Aut saltem propter citiorem liberationem animarum propinquis & amicis fiat reuelatio & apparitio. Nam non est ista apparitio naturalis: ut a forma essentiali procedat: nec artificialis ut a similitudine in mente concepta procedat: sed est actio moralis a diuina mente exigens quæ non nisi sapientissime ortum habet: quia omnia quæ a deo fiunt: ordinatissime fiunt. Iuxta illud: omnia in sapientia fecisti. Oportet igitur preparari ad hoc: ut a deo adiuuetur. Nam dicit Aristoteles. ij. de anima. Actus actiuorum sunt in patiente predisposito: ut materia sit capax forme. Ducimur itaque exemplis quod oratio & ieiunium debent precedere inquisitiones harum apparitionum. Nam dicit Christus discipulis querentibus: cur non ipsi poterant eijcere quoddam demonium. Hoc genus demoniorum non eijciunt: nisi in oratione & ieiunio: sic & hic credendum est fieri parimodo. Daniel etiam propheta trium hebdomadarum ieiunium sibi indixit: cum reuelationem a deo desiderauit ob-



## DE ANIMABVS

tinere eiusdem. x. & eiusdem. ix. dicitur q̄ deprecatus fuit do-  
minum in ieiunio sacco & cinere. Effet igitur expediens trium  
dierum ieiunare cum aliquot missarum celebratiōibus & de-  
uotis orationibus. s. septem psalmis sepius repetitis: nec tamē  
prima uice audito aliquos signo: ut apparentia mox fides ad-  
hibenda est tanq̄ firmam habens ueritatem: sed usq̄ ad mi-  
trina uice: sicut factum est Samulei in puero. primi Regum. iij.  
& Petro de Iuase quodam lintho magno de coelo in uisio-  
ne: ut patet Actuum. x. & dicitur ibi: hoc autem factū est per  
ter: non enim talibus reuelationibus leuiter credendū est pro-  
pter illusiōes diabolicas. Si em̄ est aliqd ex deo p̄cedens non  
mox cessabit: sicut sepius legimus in reuelatiōibus: ut patet de  
Pharaone q̄ duplicē uisionē uidit ad eandē rem p̄tinentē. s. de  
sterilitate & fertilitate annorū se sequentiū Ioseph interpretante  
Gen. xli. Cōfessionibus & missarū celebrationibus rite pactis  
acceriēdi sunt q̄tuor aut quinq̄ p̄sbyteri deuoti. Crederē ap-  
tius hęc fieri p̄ deuotos religiosos a secularibus actionibus ex-  
occupatos & mente in deū eleuatos p̄pter horrore & terro-  
rem depellendū. Ad locū accedant in quo se ostēdere spiritus  
se cōsueuit cum humilitate cordis & recta intentiōe: cessante  
omni supstitiosa inq̄sitione. Non tamen sine certis ceremonijs  
cū in collatione omniū sacramentorū & in missis ecclesia utat̄  
certis ceremonijs. Assumat igitur cādela in die Purificationis  
benedicta: aqua benedicta & signū crucis: & si placeat thurri-  
bulū cum thure: & in accedēdo orient. viij. psalmos aut euāge-  
lium Ioannis: ingressi locū aspergāt & thurificent. Nō tamen  
hęc dico de necessitate om̄ia requiri sed æstimo ita expedire:  
q̄a non habeo de his fundamentū necessitatis ex scriptura: sed  
aliqua exempla sanctorū super his legi. Stola etiam sancta nō



## EXVTIS

uidetur esse inutilis. Ingressi igitur locum flectentes genua: ut uideatur hanc humiliter per unum eorum dicant orationem. Oratione Domine Iesu christe omnium secretorum cognitor: qui semper tuis fidelibus & paruulis reuelare salubria & utilia consueuisti: quicquid in hoc loco spiritum quendam se ostendere permisisti: humiliter obsecramus tuam benignissimam misericordiam per passionem tuam preciosissimi sanguinis tui pro peccatis nostris effusione: ut digneris precipere huic spiritui: ut sine terrore ac lesione nostra & omnium hominum se reuelet significans famulis tuis nobis & alijs peccatoribus quos sit: cur uenerit, et quod est desiderium suum ut tu exinde honorari ualeas & ipse si est possibile consolari & fideles tui: inde subleuare in nomine patris & filii & spiritus sancti. Haec omnia possunt exemplarem similitudinem habere ex scripturis & pietate petentium: nec repugnant fide: aut bonis moribus: licet alij possunt modi inueniri quod similiter ualerent: quibus modus iste non prescribit. Post haec ad interrogatoria est ueniendum: & puto sic dicendum obsecramus pro Iesum christum tu spiritus ut dicas quos sis: & si est aliquis inter nos cui uelis respondere: & ut nomines eum: aut per signum significes: est ne ille. N. aut iste. N. & sic de alijs quotquot sunt praesentes: nominando specialiter: quia expertum est quod non cuilibet respondet: si ergo aliquam uocem aut pulsum fecerit ad alicuius notationem: illi committant alia interrogatoria, scilicet cuius hominis anima fuerit & propter quod uenerit & quod desideret. Si suffragia pro se fieri desiderat an in missis: aut elemosinis: aut quot missae, iij. x. vi. xx. xxx. & c. & pro quibus sacerdotes uel seculares uel religiosos: & si in ieiunio quod quanta & quot & pro quas personas. Si elemosinas quae & quot & quibus personis: aut in hospitalibus: aut leprosaribus: aut alijs mendicantibus & pauperibus: & quod erit signum suae liberationis



## DE ANIMABVS

pfecte. Et ppter quā causam sit pœnis purgatorijs deputatus.  
 Nam Grego. in dyalogo ponit multa exēpla: in quibus animæ  
 defunctor: per se expresserūt uiua uoce causas purgatiōis: ut  
 etiā in parte prius tactū est. Nulla tamē superflua curiosa aut  
 supstitiosa sunt inuestiganda ab eo: nisi per se ea ppro motu  
 uoluerit reuelare. In diebus tamen festiuis & tpe sobrio puto  
 ante prandiū cōuenientius puto fieri hāc inuestigationē: aut  
 forte si noctis tempore magis deo placuerit: ut fieri solet: q̄ si  
 forte nullū signū apparet illa hora. Extūc differendū est ad ali  
 ud tēpus: donec iterū spiritus se manifestaret: relicta ibi aqua  
 benedicta & cruce: q̄a dei occulto iudicio certis horis & pso  
 nis non om̄ibus se reuelat. Nec est timendū q̄ ille spiritus ali  
 cuius psonā talem in corpore ledat: si est bonus spiritus: quia  
 hoc nō est expertū ut credo aliquādo. Nā iam est extra statū  
 merēdi & demerēdi: nec peccare potest amplius: sed est in me  
 dio statu inter bonos & reprobos certus de sua p̄destinatiōe  
 sed ad hāc in satisfactiōis statu. s. in pœnis ad tēpus. Legimus  
 malos p malos punitos fuisse: sicut i Tobia de septē uiris Za  
 re quos demon asmodeus occidit eiusdē. iiii. Itē malos p bo  
 nos sicut de sodomitis: quos angeli per ignē & sulphur peri  
 merūt: ut patet in Genesi. Item bonos p malos sicut Iob per sa  
 than: sed nō legimus bonos p bonos punitos: nisi ppter ip̄o  
 rum salutē: tanq̄ medicinā eis prestuisse: sicut Zachariā p an  
 gelū Gabrielē q̄ eū officio lingue priuauit. Luce. i. & Iacob p  
 tactū angeli claudicauit cū tetigit neruū femoris eius & emar  
 cuit ob custodiā castitatis: ut patet in Gen. Et Paulus p angelū  
 Sathane fuit colaphisatus p stimulū carnis: ut ip̄e testat. Q̄ si  
 talis sp̄s offenderet aliquos in corpore: iā suspectus esset: q̄ nō  
 esset unus de bonis: sed de reprobis saluo iudicio diuina.



## EXVTIS

De Modo cognoscendi bonum spiritum a peruerso.

Vantū possum formā dabo. Primo bonus spiritus  
 q̄ in principio aliqd̄ terroris secū affert sed non persistit  
in terrore: nec p̄mittit hominē diu stare in terrore: ut  
 patet de Gabriele angelo ad Mariā quia canit. Expauescit uir/  
 go de lumine: & Luce. i. Turbata est Maria in sermone eius:  
 & statim angelus cōsolatus dicēs: ne timeas Maria. Sic etiam  
 Daniel: Vidēs angelū exterritus est: & mox cōsolatus. Dañ. iii  
 x. Sic Zacharias sacerdos. Luce. i. Peruersus uero spiritus a le-  
 nitate incipit & ad terrorē p̄ducit: ut patet in Eua per serpen-  
 tem quæ non fuit territa: uidens serpentē sibi loquentē: sed sta-  
 tim cōplacentiā habuit & ei blandiebat. Sic legimus Actū  
 x. in Cornelio Ceturione ad quē missus est angelus. Secundus  
 modus discernēdi est p̄ speciem uisibilē ex pp̄rietatibus rerū  
 uisibilū. & si apparet ut Leo: ursus: rana: serpens uirga: catta  
 aut canis: aut nigra umbra p̄sumēdmu est: q̄ est spiritus ma-  
 lus: sicut apparuit Euæ in specie serpētis. Et ut refert de nigro-  
 manticis q̄bus apparet in horribili forma: q̄a sic deus p̄mittit  
 ut homo prima facie horreat ac detestet: potius appareret in  
 specie decora si p̄mitteret Bonus uero spiritus se q̄nq̄ ostēdit  
 in specie colūbæ aut hoīs: ut Mariæ sanctis mulieribus in die  
 Pasce: & in die Ascensiōis Christi in uestibus albis: aut in splē-  
 dore solis: aut lucis eius & agni &c. Recurrendū igit̄ est ad at-  
 tributa illarū rerum apparentū & etiam sonorū & uocū que  
 audiunt: si suaves: dulces: māsuetę: modestę: humiles: & chari-  
 tatiue: planctiue: & dolorosę sunt. Non furiosę terribiles: exe-  
 crabiles: aut alias crudeles infectiue: aut increpatiue fuerint: q̄a  
 charitas paciēs & benigna est: nō irritat &c. ut apostolus ait.  
 Opposite pp̄rietates & attributa cōueniunt peruersis spiriti-



## DE ANIMABVS

bus: quia diu latere nō potest eius pueritas: sicut pprietas rei  
 qdditatē rei demōstrat: neq; aliqd' fictū diu latere pōt: ut dicit  
 Tullius: sed ut flosculus cito decidit. Tertius modus cognoscē  
 di seu discernēdi est ille q' sumit ex nūmismate: sicut dicit Chri-  
 stus ad Phariseos ipm tentātes: an liceret cēsum dari cēsari an  
 nō. Ostende inqt mihi nūmisma cēsus: & illi obtulerūt ei de-  
 nariū habentē in se imaginē regis & supscriptionē cū pōdere  
 determinato hoc ad nostrū ppositū. Cuius est imago hęc &  
 supscriptio. Vtiq; cēsaris: Primo igit an ille spiritus apparens  
 habeat imaginē christi q' ueritas est: ipō teste: ego sum uia: ue-  
 ritas & uita: q' ueritas oēm falsitatē & uanitatē & mēdaciū ex-  
 cludit. Si ergo sic reperit in hoc spiritu q' nullā falsitatē: uanita-  
 tem: iactantię laudis: aut arrogantia immiscet in sua ostensione  
 psumendū est de bono spiritu. Sin aut opposito modo suspe-  
 ctus habet sicut in christi tentatiōe. Mathei. iiii. suggestit gula:  
 uanā gloriā: & auariciā: & in tentatiōe primi mulieris suggestit  
 appetitū altitudinis dicēs: Eritis sicut dii. Et iurauit dicēs Scit  
 em̄ deus & c. Est em̄ ille spiritus mēdax & pater mēdaci: nec  
 in ueritate stetit: sed dolosus & fraudulētus: & talia exeunt de  
 corde suo: etiā si ueritatē loquit: ut patet in euāgelio ubi a Chri-  
 sto iubet tacere etiā ueritatē: quia sub ea tegit dolositatem.  
 Quartus modus discernendi est: si est in denario supscriptio  
 & doctrina apostolicā & doctorū ab ecclesia approbatorū  
 ut nil sit in respōsis illius spiritus: aut in gestis eius qd' derogat  
 fidei: aut bonis moribus & ritibus ecclesię secundū iura cano-  
 nica: aut consiliorū decreta: aut cōtra sanctę Romanę ecclesię  
 instituta. Et hoc est cōtra hereticos beginas somniatores: au-  
 gures: auruspices: diuinatores: incantatores: certificat nos uas  
 electiōis. Paulus ad Gal. i. Sed licet nos aut angelus de cœlo



## EXVTIS

euāgelizet uobis p̄ter q̄p̄ qd' euangelizauimus uobis anathe-  
 ma sit. Et idē dicit ad Hebr̄eos ultimo. Doctrinis uarijs & pe-  
 regrinis nolite abduci. De istis erroribus & illusiōibus ac de-  
 monū potestate memini me unū specialē tractatū collegisse  
 sub eodē themate. scilicet doctrinis uarijs &c. Si tamē alicui in som-  
 nis p̄ uisiones apparent parentes: aut amici noti quasi essent  
 in poena purgatorij petētes suffragia: ut sepius fieri audiui: nul-  
 lum sequit̄ incōueniens si pia intentiōe aliqua suffragia in mis-  
 sis: aut elemosynis fieri p̄curet sub cōditione: si uerz sit somniū.  
 Si autē est quoddā uanum: extunc in sinū ecclesie aut aliarz aia-  
 rum suffragijs conuertat̄ per diuinā uoluntatē. Quintus di-  
 scernendi modus est: si sit in factis: uerbis: gestis & moribus:  
 eius pondus humilitatis: sicut in nūmismate solet pondus ap-  
 pendī: ut si plāctus: gemitus: querela: petitio: recognitio pecca-  
 torū: aut confessio reatus: aut poenarū audeatur ab eo & simi-  
 lia: sic q̄ non gloriatio: iactantia: cōmunicatio: blasphemia: aut  
 detractio seu maledictio &c. Credendū enim est hunc spiritū  
 se ad modū mendicantis habere: qui querulat̄ suos defectus  
 mendicās apud uiuentes subsidia elemosynas &c. Et hoc est  
 iudicium bone spei & speciali quadā gratia a deo sibi hoc cre-  
 datur p̄missum: qui forte nullā aliam habet consolationem ni-  
 si cōmunia ecclesie suffragia: cui deus misericorditer indulget:  
 ut & specialia possit mēdicare. Virtus em̄ humilitatis in quo-  
 cunq̄ apparuit sine gratia esse non potest dicente scriptura.  
 Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratia. A super-  
 bis enim tanq̄ a montibus aqua defluere debet: tanq̄ ad ual-  
 les humilitatis & in montibus Gelboe: nec ros: nec pluuia so-  
 let se effundere. secundi Regum primo. Possunt & alia signa  
 discretionis spirituum reperiri: sed ista pronunc sufficiunt.



## DE ANIMABVS

Sed & hoc pium lectorē uolo esse p̄munitū q̄ ea q̄ predicta  
 de ceremonijs p̄sonis sacerdotibus: locis tēporibus: aut signis  
 oratiōibus: missis: ieiunijs &c. Nō diffinio sic fore necessaria  
 semp ut nunq̄ sine illis fiat reuelatio aut cognitio spirituum.  
 Quin & quādoq̄ sine illis fieri potest: ut cōpertū est q̄ ma-  
 ritus defunctus uxori uiuētī: aut ecōuerso pater: filio & econ-  
 uerso mater filia: & econuerso frater fratri &c. se reuelarūt si-  
 ne his p̄missis: sed ubi nulla alia certitudo potest haberi & sen-  
 titur apparitio spiritus: ibi talis modus p̄babiliter credit ob-  
 seruādus. Oportet em̄ in ista caliginosa materia sub typo quo-  
 dā et exēplariter p̄cedere: sicut Aristo. docet. i. Ethicorū: q̄ nō  
 querunt hic demōstratiōes: sed ex ipostasibus & signis oportet  
 ueritatē cognoscere quantā potest. Nec etiā est impossibile  
 ut spiritus illae aliquādo molestet aliquos in corpore scalpisan-  
 do: uestes abstrahēdo a lapifando &c. Similiter p̄pter hoc ut  
 credulitatē sibi imprimat & eū attentū faciat. s. ne dissimilet &  
 leuiter p̄trāseat uisionē. Sicut legimus in lib. quarto dialogorū  
 Gregorij de Normensi episcopo: de quo suus capellanus uis-  
 dit uisionē & ei intimare tardauit: ideo grauiter tertia uice uer-  
 beratus est usq̄ ad liuorē corporis: & tunc intimauit eidem.  
 Sicut experti sumus q̄ notis & cōsanguineis cōiugatis & no-  
 ticiā de particularibus rebus habētibus reuelationes p̄ spiritū  
 factę sunt: de restitutiōibus iniuste ac inquisitorū: de cōstructi-  
 onibus altarium: hospitaliū: testamentorū: executiōibus: pere-  
 grinatiōibus ad limina sanctorū p̄pter uotorum & poeniten-  
 tiarū solutionē. Quae om̄ia confessa credunt: sed nō per satis-  
 factionē impleta: q̄ hęc & similia si nō fuissent cōfessa cōtri-  
 tione preuia nō esset credendū: aliud nisi q̄ pro peccato mor-  
 tali talibus deberet poena eterna. Et secundū Grego. iiii. dyalo



gorz. Multum incautū est facile credere uisionibus somniorū propter hoc q̄ causas eorū difficile est cognoscere. Et ponit ibidem sex causas somniorz: aut ex uentris plenitudine: aut in-  
 anitate quas experiētia quotidiana experimur. Alia de monū  
 illusione: alia cogitatione simul & illusione: alia reuelatione:  
 alia cogitatione simul & reuelatione generant. Dicit scriptura  
 multos errare fecerunt somnia nō auguriabimini: nec obser-  
 uate somnia: & alias multas curas sequuntur somnia. Ex scri-  
 pturis etiam patet q̄ somnia ex reuelatiōe diuina sunt facta.  
 Mathei enim. ij. patet. Quō angelus apparuit Ioseph in som-  
 nis dicens: Tolle puerū & matrem eius. Et Ioseph filio Iacob  
 Pharone. Nabuchodonosor & Daniele &c. Si quis igitur ca-  
 ret illa gratia data gratis quæ ab apostolo dicit discretio spiri-  
 tuū prima Corinthiorz. ij. sepius decipit in reuelatiōibus istis.  
 Quæ gratia Mariæ matri domini nō defuit & sanctis p̄no-  
 minatis. Nostris uero etatibus raro tales reuelationes fiūt aut  
 uerę uisiones: cuius ratio per doctores assignat: quia deus p̄te-  
 ritis seculis ex uiribus primarię institutionis. s. naturalibus ex-  
 doctrinis & artibus inde deductis sufficienter prouidit fide-  
 libus suis in his quæ ad salutē pertinet: secundū illud Iob: semel  
 loquitur deus & secūdo id ipsum non repetit. Loquit em̄ mo-  
 do deus per scripturas & per exempla sanctorz copiosæ: que  
 prius per miracula loquebat & reuelationes: ideo redarguit  
 regulum illum: quia a Christo signū petebat in sanatione filij  
 sui dicens: Nisi signa & prodigia uideritis nō creditis. Iohānis  
 quarto. Et alias in euangelio Mathei. xvi. Generatio mala &  
 adultera querit signum. Et secundū Augustinū de mirabilibus  
 sacre scripturæ dicit: Sine necessitate nō est recurrēdū ad mi-  
 racula seu reuelationes asserens modice fidei ad miracula re-



## DE ANIMABVS

spicientes. Ideo Abraam dixit illi diuiti in inferno miracula pe-  
tenti: habent Moysen & pphetas audiant illos. Luce. xvi. Ve-  
runtamen aliquando deus infirmitati humane cōdescendens  
ex infinita sue bonitatis habundantia reuelat prout sibi placet  
non obstātibz pmissis. Ideo nostris miracula tēporibus &  
reuelationes raro fiunt & sunt p̄ciosæ: nec sunt petendę a fi-  
deli aliquo ubi alias se quisq; scripturis & exēplis iuuare po-  
test: ne scripturę uilescāt: & ut fides crescat: & ut studiosi simus  
ad reuelandas scripturas: quia uos putatis in ipsius uitam habe-  
re: Ioannis quinto. Legitur in uita patrū de quodā sancto qui  
habuit gloriam miraculorū: sed nullo pacto uoluit uti ea quo-  
dam tēpore fideles ex deuotione ueniētes ad eum petierāt be-  
nedictiones ab eo. Inter quos quidā puerum defunctum ap-  
portauit: quem una cum ceteris uiuētibus posuit ad pedes se-  
nis nesciētis eum esse mortuū: post benedixit ei & orauit: sur-  
rexerunt uiuētes remanente puero mortuo iacere in terra: pu-  
tauit senex qd uiueret & benedicto adhuc iaceret: dixit ad eū.  
Surge fili: statim mortuus surrexit & cucurrit ad patrem su-  
um: qd postq; senex comperit commotus dixit patri ut nulli  
hoc reuelaret: quia nullo modo eum resuscitasset si sciisset ip-  
sum mortuum fuisse.

De Suffragijs quibus animabus a corporibus  
exutis per uiuentes subueniri potest.

**E**X quo ille animæ in statu illo sunt in quo opera prin-  
cipalia exercere nō ualent. s. ieiunijs: orationibus: & ele-  
mosinis & altaris sacramento intendere &c. Portaue-  
runt autē secū purganda. s. lignū: fenū: aut stipulā & uenialia  
citius aut tardius delenda: puidit eis deus de aliquo remedio  
in ecclesia militanti: ex quo in fide & dilectiōe. decesserūt. Per



## EXVTIS

doctores itaq; quattuor suffragiorū genera solent distinguere  
Primo immolatio uic̄tīme salutaris in sacramēto altaris. Secū  
do elemosynarū distributio. Tertio orationū instantia. Quar  
to ieiuniorū maceratio. Ad quæ quattuor om̄ia illa habent re  
 duci. s. peregrinatio ecclesiarū: uisitatio pauperū: susceptio diuī  
 ni cultus augmētatio. Et secundū istum ordinē etiam efficacia  
 & dignitas eorū solet ordinari: ita q̄ multū præ alijs ualet ob  
 latio sacrificij salutaris: ut testat̄ Grego. iiii. dyalogorū de quo  
 dam monacho q̄ tres aureos de arte medicine conquisitos in  
 ultima sua egritudine fratri suo germauo copioso noīe reuela  
 uit & pœnituit: q̄s frater suus sc̄tō Grego. p̄sentauit: & cū eo  
 ip̄os sepeliri iussit: nec in cimiterio fratrum. s. in sterquilinio ad  
 aliorū fratrū terrorē post. xxx. dies. Grego. dixit ad fratrem co  
 piosum: uade & p. xxx. dies sine interruptiōe sacrificiū altaris  
 pro eo offerre stude. Quibus pactis frater ille defunctus co  
 piosæ p̄ uisionē apperuit & requisitus quō se haberet: respōdit  
 nūc usq; male: sed mō bene sum: q̄a hodie cōmunionē recepi  
 Et ista dies. xxx. fuit q̄bus frater eius p̄ anima eius missas cele  
 brauit: & sic cognitū erat q̄ defunctus p̄ salutarē hostiā sup  
 plicij eualit: nec forte illa dilatio dierū fuit necessitatis: quia cre  
 do si una die fuissent. xxx. misse celebrate p̄ anima eius ip̄a fu  
 isset liberata. Exinde etiā mos inoleuit q̄ tricenaria p̄ aniabus  
 defunctorū solēt p̄ amicos p̄curari. Ideo uester om̄ino expedi  
 re aniabus defunctorū: ut quāto citius tāto melius est q̄ testa  
 menta restitutiōes missæ: elemosynę & orationes p̄soluant̄ p̄  
 celeriori ereptione a pœnis. Vnde quarto sententiarū: querūt  
 doctores: An defunctus sentiat damnū ex dilatiōe testamen  
 torū: aut elemosynarū per ipsum cōstitutorū. Et responsio stat  
 in hoc q̄stū ad premiū essentialē qd̄ in charitate cōsistit nullū



## DE ANIMABVS

sentiunt damnū anime defunctorū: sed quo ad premiū accidē  
 tale. s. quo ad celeriorē liberationē magnū sentiūt damnū. s.  
 poenarū qbus ante solutionē affligunt. Nam si totū mundū  
 anīe in supplicio existētes haberent in possessiōe prōpissime  
 darent pauperibus: ut unā solam horā de poenis redimi uale-  
 rent & creatorē suū uidere possent. Et ideo poena eorū grauif-  
 sima est: ut dictū est. s. tam ppter dilationē glorię q̄ ppter sen-  
 sationē poena quę acerbissime agit in anīa separata. Ibidē po-  
 nit Grego. multas alias uisiones in qbus probat: q̄ animę de-  
 functorū iuuant per immolationē sacrificij salutaris Et dicit q̄  
 illic ista uictimā oblata illis prodest: q̄ hic uiuendo obtinuerūt  
 ut etiam eos post mortē bona adiuuent: quę hic pro ipsis ab  
 alijs fiunt. Sed dicit q̄ illi salubriorem & tutiorē uiam eligunt  
 qui bonū qd' post mortē sperant per alios pro se agi: hoc ipi  
 dum uiuūt per se agūt. Beatius quippe est liberū exire q̄ post  
 uincula libertatē acquirere. Nam qd' post mortē offerit pro aīa  
 bus quasi oblatio mortua censet. Quod uero a uiuēte datur  
 est oblatio uiua & multo gratior est deo. Nā legimus in uita  
 sancti Heimundi ep̄i q̄ uidit corpus cuiusdā rustici ad ecclesi-  
 am deferri: & ante feretrū bos unus ducebat pro anīa defun-  
 cti offerēdus: hoc cognito sanctus ep̄us dixit: Si iste defunctus  
 iugum in quo ille bos traxit dedisset ppter deū dum uiueret  
 multo utilius anīe suę fuisset q̄ q̄ post mortē totum bouem  
 uiuūt deo offert. Multū igit' peccant testamētarij quibus com-  
 missa est executio testamentorū si differūt uoluntatē ultimam  
 testatoris exequi q̄ interim semp poenā sustinet: nisi dilatio ibi  
 fieret ubi uberior inde cōpensatio sequi speraret. Optimū igitur  
 est: se nō deferri de mora breui seu lōga quā animæ defun-  
 ctorū cogunt agere i purgatorio puto neminē scire posse: nisi



## EXVTIS

cui a deo: aut ab ip̄is fuerit reuelatū. Nec hoc cadit sub arte hu-  
mana sed solū diuina: nō tamen dubitandū q̄ deus qui om̄ia  
in numero: pondere: & mensura disponit regulatissime: certū  
tempus cuilibet an̄ie constituit. Legimus in reuelatiōibus uni  
defuncto & resuscitato & post cōfessionē rursū morietū. xl.  
annos fuisset in purgatorio impositos: alteri usq; ad diem iu-  
dicij & ē. secundū maiore uel minorem purgādi materiā: hoc  
tamen de lege cōmuni nisi ex speciali suffragio uiuentū illud  
tempus breuiet. Ex illo colligit q̄ diuites in hoc seculo p̄oga-  
tias habent ultra pauperes: q̄a habent p̄ amicos plura suffra-  
gia c̄p̄ pauperes qui illis carēt. Deus em̄ secundū intentionem  
donantiū acceptat donata: licet credendū sit q̄ etiam an̄ie pau-  
perū aliquāter ex his consolent̄ ex charitate quā habēt ad in-  
uicem. Sicut si duo fratres essent in uno carcere & unus libera-  
ret̄ alter permanēs: utiq; gauderet: & si nō de sua: tamē de fra-  
tris sui liberatiōe cui cōgratularēt neq; cū uno precio possunt  
duo debitores redimi nisi unus nō indigeret: uel amplius ille  
impēderet c̄p̄ ille deberet: tunc credendū est q̄ diuina clemen-  
tia aliorū p̄enas relaxaret & inde orte sunt indulgētie in the-  
sauro ecclesie recōdite. s. ex operibus Christi: Marię: Apосто-  
lorū & martyrum sup̄ erogatiuis quibus ip̄is opus non erat.  
Quem thesaurū Christus pape cōmisit prudenter dispēian-  
dum. Inde dicūt non indocti doctores: In cimiterio ubi pauci  
sepulti: oratiōes ibi pro aniabus facit̄ plus p̄sunt illis paucis  
q̄ si essent multe anime: q̄a orationes distributę in paucis ma-  
iores sunt c̄p̄ in multis: saltē per modū satisfactiōis: quę satisfac-  
tio cōmensurat̄ p̄enarum & debitorū quātitatibus secundū  
magis & minus. Hi querūt doctores. iiii. sententię distincti.  
xlv. An missa mali sacerdotis tantū ualet aniabus sicut boni sa-



## DE ANIMABVS

cerdotis: & respondēt q̄ quantū ad sacrificiū oblatū, s. corporis Christi: & quantū ad ecclesie meritū in p̄sona: cuius sacerdos minister celebrat & quantū ad christū: cuius sacerdos est. Idem est ualor sed nō quantū ad speciales oratiōes: q̄a sic mali sacerdotis sunt deo minus acceptabiles immo execrabiles: si cut cōtemnit quandoq; donū p̄pter odiū donantis. Ideo creditur q̄ aures dei magis sunt intente ad p̄ces iustorū secundū psalmistā: q̄ ad aures reproborū. Ex premissis sequit̄ q̄ suffragia non sunt necessaria aniabus que iam sunt in coelo: q̄a non sunt mēdicantes seu indigentes quales sunt in purgatorio: tamen si fiunt ignorāter p̄ eis deus cōuertit ea pro indigētibus in poenis: aut cōportant in thesaurū ecclesie. Et dicit Augusti. Iniuria est orare p̄ martyre. Nec etiā suffragia p̄sunt aniabus in limbo puerorū: quia ibi detinent solū p̄ peccato originali nō pro actuali: & poena damni puniunt quæ est p̄petua: nec profunt dānatis: q̄a sine gratia decesserunt: nec erant membra Christi quantū ad fidē quæ per dilectionē operat̄. Ideo nō uiuificant̄. Ex p̄missis etiā sequit̄ q̄ hij qui p̄dicant populo publice de cathedris q̄ de qualibet missa una aīa de purgatorio liberat̄: & unus peccator cōuertitur: nō habent in hoc uerum fundamentū p̄batiōis: nec hoc p̄bare possunt: nec ab aliquo autētico doctore illud audierūt: nec legerūt illud p̄bante: nisi esset alicui reuelatū a deo. Et si sic: p̄bent reuelationē & credimus eis. Illa enim sunt occulta dei iudicia ab oculis nostris absconsa. Et si dicerēt populus p̄ hoc incitat̄ ad offerendū & audiendū diuina: & ad frequētandas missas: posset talibus non incōgrue respōderi. Illud in lob: deus mēdatio nostro nō indiget ad anias saluādas ipso dicēte: p̄dicate euāgelij ueritatē: sed potius corā populosis est dicendū: pie credendū est q̄ multa.



## EXVTIS

utilitas consequit̄ ex missarū celebrationibus: tam uiuis q̄ de-  
 fūctis p̄pter christi passionē q̄ rememorat̄ in harū missarū ce-  
 lebratiōe. Potest em̄ fieri q̄ multę aīe liberant̄: aliquādo pau-  
 ce: aliquādo nulle: & q̄s potest hoc diffinire: Ideo de relaxati-  
 one p̄enarū dicit̄ Henricus de Gandauo: q̄ tales p̄enę tri-  
 pliciter relaxant̄. Primo p̄ contritiōnē in cōfessione uigore cla-  
uium operantiū uirtute passiōis Christi: & hoc appellat̄ forū  
 christi. Secūdo relaxat̄ p̄ena ex p̄enitentia iniūcta a sacerdo-  
 te: & hoc appellat̄ forū hominis. Tertio per p̄enā in purga-  
 torio: & hoc uocat̄ forū dei. In primo foro multū dimittit̄ p̄  
 paruā p̄enā. In secundo minus dimittit̄ p̄ maiore p̄enam. In  
 tertio minimū dimittit̄ per maximā p̄enam: & p̄ istius p̄e-  
 nę relaxatione subuenit̄ per suffragia uiuentiū ipsiis defunctis  
 Sed ex quo efficacit̄ sacramēti est infinita: cur nō omnes aīe  
 p̄ unā missam p̄ defunctis de purgatorio liberant̄? Ad hoc  
 respondēt doctores sup̄ quarto q̄ hoc sacramētū nō semp̄  
 agit secūdū totalē potentiā suā: sed secūdū ordinem sapiētie  
 & iuste quantū ad capacitātē suscipientiū: q̄a agens est uolūta-  
 rium nō naturale sicut in ceteris agētibus uolūtarijs: secūdū  
 magis & minus. Ex p̄missis etiā patet q̄ in ecclesia militate  
 unus p̄ alio potest satisfacere p̄ peccato in quantū satisfactio  
 est solutio precij p̄ reatu peccato debito: q̄a hoc etiā in rebus  
 humanis locū habet: ut alter pro altero soluat & debitor libe-  
 ratur: sed requirunt̄ aliqua ad hoc. Primo ut alter sit impotēs  
 ad soluendum: uel non commode possit satisfacere p̄eniten-  
 tiam iniūctā per soluendo. Secundo requiritur q̄ ille in se re-  
 cipiens p̄enitētiā potens sic eam explere. Tertio q̄ uterq̄  
 istorum sit in charitate. Quarto q̄ hoc fiat auctoritate sacer-  
 dotis: qui conscientiam utriusq̄ nō ignorat. Hęc Thomas de



## DE ANIMABVS

argentina in scripto quarti, distincti. xx. Ideo cautissime agerēt  
 homines q̄ in infirmitatibus suis alios peterēt: ut poenitentia  
 pro ip̄is assumerēt: aut iniunctam aut nō iniunctā: sed nō est si-  
 mile de cōtritione & cōfessione: sicut de satisfactione: licet iste  
 tres sunt partes poenitētię. quia nullus p̄ alio potest cōteri: aut  
 confiteri. Cuius ratio est: q̄a in contritione iustificatur impius.  
 Et Augusti, dicit. Qui creauit te sine te: nō iustificabit te sine te  
 & cōtritio & confessio ordinant̄ ad interiorē anię emundati-  
 onem: & respiciūt propriā personā & gratię infusionē quam  
 nullus potest alteri mereri: licet impetrari ab aliquo a deo po-  
 test. Item q̄a opus poenitentię per aliū factū pro alio p̄suppo-  
 nit & p̄requirit aliū iam esse in gratia: immo q̄ ambo sint in  
 gratia & charitate: igit̄ non est simile: etiā si non esset cōfessus  
 tunc nesciret quāntitas satisfactiōis: & p̄ cōsequens nullus pos-  
 set pro eo satisfacere. Sed utriū anię in purgatorio cognoscūt  
 suffragia p̄ eis facta. Ad hoc uidet̄ respondendū: q̄ licet anię  
 in coelo cognoscāt preces uiuentiū: ad honorem ipsorū factas  
 ex speculo trinitatis cognitiōe diuina: nō tamen est credendū  
 q̄ simili modo anię in purgatorio: quia nondū sunt beate: &  
 adhuc sunt alienę ab illa cognitiōe saltē intuitiua: licet forte co-  
 gnoscere possunt diminutionē poenarū eis factam: & ex illo  
 eliciūt suffragia pro eis facta: hoc dico ex cōmuni lege. Secus  
 aut̄ est per reuelationē angelorū eas consolantiū: ut pie crediē  
 q̄a sunt eorū conciuēs proxime futuri: sed an poena earū dimi-  
 nuīt quo ad intentionē: ut semp̄ remissus puniant̄ quāto diu-  
 tius fuerint in poenis: an semp̄ eq̄liter intēsa sit poena: licet tem-  
 pus abbreviet non audio diffinire: licet p̄pter acerbitatē poe-  
 narum a quibus absorbent̄ hoc nō ualeant cōsiderare. Sed an  
 indulgentię datę possunt aniabus p̄desse in purgatorio. Ad



## EXVTIS

hoc uidet̄ respondēdum ex quo indulgētię sunt stipendia militantis ecclesię: & ad harū participationē requirūt̄ iurisdic̄tio: & forum ecclesiasticū ac opus ꝑ quo dant̄: & solis uere pœnitentibus contritis & cōfessis dantur: ut patet in forma indulgentiarū cōmuniter consueta: quę om̄ia nō habent locum de aniabus in purgatorio existētibus. Videt̄ igitur q̄ nec indulgentię saltē directę & mediatę ualēt eis: licet opus illud ꝑpter quod datur indulgētia per modū suffragij ab eo q̄ hoc opus facit: possit trāsferri ꝑ intentionē faciētis in satisfactionē anime in purgatorio quod opus etiā sine indulgētia potest esse satisfactoriū ꝑ aliqua ania in purgatorio: sicut ieiuniū elemosina peregrinatiōes: & tunc non uidet̄ prodesse ip̄i faciēti pro pœnitentia sua ex quo cū uno opere ꝑ modū precij taxati nō potest redimere duos debitores: ut dictū est: igit̄ talis explēs hoc opus pro alio iam nō meret̄ istas indulgētiās quę sunt relaxationes pœnitentiarū iniunctarū: licet non diffitendū est q̄ explētū opus multū ualeat ex uirtute charitatis: quantū ad premiū essentialē q̄d in infinitū excedit premiū accidentale: quale est relaxatio pœnarū in purgatorio. Ideo semp̄ ille ex charitate explens opus ꝑ alio semp̄ plus meretur sibiꝑsi q̄ alteri ꝑ quo facit: sed in alio genere merēdit̄: ut dictū est. Potest tamen indulgētia concessa ꝑdesse alicui uiuenti: ne intret pœnas purgatorij quas passurus esset: si sine indulgētia moreret̄ & ꝑ accidens ualent indulgētię cōtra pœnas purgatorij nō quas habet: sed quas habiturus esset: ut si quis in anno Iubileo uisitaret Romā aut crucē assumeret ubi esset plenaria remissio omniū peccatorū ille expleto opere: ceteris paribus cōsequeret̄ relaxationē omniū pœnarū etiam in purgatorio: ut credimus quo nil defert secum dignum pœnis purgatorij. Et iste uiuēs



## DE ANIMABVS

fuit: tunc de foro ecclesie militantis quales nō sunt mortui. Ideo dicit Christus apostolis Matthei. xviij. Quęcunq; ligaueritis super terrā ligata erunt & in cœlis; sed uos ligatis sup̄ terram ubi terminat uestra iurisdictione quā ego sic approbo: ut p̄ me ligata sint in cœlis; & sic simpliciter de solutione: licet aliud sit forum ibi & hic. Ideo etiā pœnę uariantur secundū mutationē fori. Premissa locū habent: & pro maxima sui parte cōcernūt anias separatas a corpibus. Nunc etiā reuertat̄ stilus ad anias adhuc unitas corpibus quō nobis uiuis ambulandū sit: ne illas acerbissimas tam inferni q̄ purgatorij pœnas incidamus. **Fœlix em̄ quem faciūt aliena pericula cautum.**

Modus quō uiuentes possint euadere pœnas.

**S**imus ex philosophia morali: Omne sensitiuū tristitia fugere: naturalia & delectabilia p̄sequi uelle: ita ut Augustinus dicit libro secundo questionū: Nemo est qui non magis dolorē timeat q̄ appetat uoluptatē. Quādoq; uidemus immanissimas bestias a maximis uoluptatibus arce-ri doloris metu: & quia ut prius habitū est pœne huius tēporis quantūcunq; acerbe estimat: etiam in extremo supplicio: tamen pœnæ nullę estimādę sunt in cōparatione futurarū q̄ ergo futuras acerbissima fugere appetit p̄sentes minimas nō refugiat: quia dicit scriptura: q̄ timet pruina incidet super eum nix: id est qui paruā huius mundi pœnitentiā aspernat: ueniet sup̄ eū maior in futuro. Testis est ille diues q̄ purpura & bisso induebat & epulabat̄ quotidie splendide. Luce. xvi. Non utiq; fulciebat̄ uita pœnitentiali sed uoluptuosa: & constat qd eum sequebat̄: scilicet mendicitas aque q̄ sibi tamē non fuit cōcessa. Ideo ibi in flāma p̄petuā cogitur agere infructuosam pœnitentiā qua hic paruā & breuem recusabat agere fructuosam



## EXVTIS.

Pons ergo & tabula futurarū poenarū sunt poenę p̄sentes dicente Christo & Ioanne baptista: Poenitentia agite & appropinquabit regnū cęlorū. Matthei & Luce. iij. Quam autē rara sit poenitentia ista condigna p̄ peccatis hodie in hominibus non loquēdo; sed uidendo & palpādo cognoscimus. Possumus etiā probare quantā poenitentia uiuentes agere deberēt p̄ hoc q̄ resuscitati aliqui q̄ poenas flāmarū senserunt; & post poenitentia egerunt incōparabilē nostris poenentijs: de quorū poenentijs scribit Gregorius. iiii. dyalogorū: Pręcipue de uno nomine Petrus qui ad horrendissima loca poenarū deductus in q̄bus multos huius seculi potētes suspensos uidit. In q̄bus & ipse etiam mergi debuit: sed angelus prohibuit & ei dixit egredere & quomodo tibi uiuendū sit cautissime attende; & euigilans cuncta uisa narrauit. Tantiscq̄ se postmodū uigilijs & ieiunijs cōstrinxit; ut inferni tormenta se uidisse. Etiam si lingua taceret: uita & cōuersatio loqueret̄ & post heremum ingressus est. Est autē hęc uia poenitentię multis hominibus dura; quia est arta uia & angusta porta qua dirigit̄ ad deum. Et hęc secundū Augustinū consistit in cōtemptu uoluptatis & intollerantia passionis: quę dure pene omēs hoies fugere cōsueuerūt: igitur & uerā poenitentia fugiūt. Quotq̄ legimus fuisse suscitatores semp̄ inuenimus incredibilē poenitentia in terra peregrisse. Nam legitur de quodā conuerso fratre cum ex more lauaret̄ corpus eius inter manus lauantiū cœpit corpus eius nigrescere ad modū picis; post paululū uertebat̄ in igneū colorē; postea albescere ut nix. Post hoc reuixit & interrogatus qd̄ uiderit; respōdit post egressum: aia mea missa est in picem ardentem: deinde iactata in ignem feruentissimum deinde in aquas glaciales: deinde in cacabum aquę fluentis.



## DE ANIMABVS

In his pœnis obiecta sunt mihi a demonibus peccata leuitatis quæ uiuens paruipēdi. A quibus demonibus per flagella ferrea & ignita tam asperam & intollerabilē accepi disciplinā: ut nullū uas eneū illa sustinere posset quinimo imminutissimos pulueres resoluere. Cūq; me deus ex iusticia saluare nō posset: neq; ex minima damnare uellet: iussit me redire ad corpus ut exemplo & uerbo docerē uiuentes: quæ pœnæ peccatoribus deberent: postea quantā egerit pœnitentiā uix dicibile est. Ecce iste religiosus cōfessus & cōtritus decedens, ppter peccata leuitatis quæ hodie pro nullo cōputantur sic punitus est: & hoc deus ppter nos manifestauit quātas pœnas credēdū est: etiam alias animas sustinere quas noluit publicare: nec em̄ ille primus nec ultimus extitit. Itē doceat nos alter religiosus quō euadere possumus has purgatorij pœnas. Hic in somnis uidit a se exigī rationē de suis peccatis multū terribiliter: cui conquerētī in quātū esset obligatus. Respōsum est ei centū libras auri nō quas alicui defraudasset: sed denotans mensurā pœnarum. Euigilās subiecit se graui pœnitētię & abiectis ac uilibus operibus tribus cōtinuis annis: ita ut ab om̄ibus tribulatiōes pateretur: & post in somnis uidit se solutū a decem talentis. Et dixit adhuc sup̄ habundantia labore & ignominia indiges & cepit amentīā & stulticiā simulare. Ideo fratres ei grauiora & horribilia cœperunt opera iniūgere: quæ cū gaudio patiebāt per. xiiij. annos. Deinde in somnis uidit ad se angelos ueniētes qui absolutū eum ab om̄ibus debitis p̄nunciabant & dixit: quādo me fratres tribulabant & cōspuebant rememorabor debitis & generose uiriliterq; ferebā: & alter uidens quendā fratrem ridentē: dixit ei: coram deo & angelis rationē reddidit: risum & turides. Hęc predicta in cordibus legentū uolo



esse recōdita: ut magis intus mastitent quā stilo depignātur. Ad particularia ergo descēdēdo: ut beniuolus lector me gratum habeat. Volēs euadere has futuras pœnas in speculo illorum: distat qđ ipse faciat & primo oīa iniustæ acq̄sita restituat solis necessarijs secundū suū statū cōtentus: deinde statū uiuendi talē eligat sine magnis curis & qđ est remotus ab huius seculi dignitatibus ac diuitijs & officijs cōmunibus: quia hec uix aut nunq̄ ualent sine peccato administrari. Deinde a seculi actibus in quantū pōt faciat se alienū sibi & suis solis uacās superfluis pōpis huius mundi renūciaas cōtubernio iustorū se assiduās lectioni sacrarū scripturarū & p̄dicatiōibus frequenter intētus. Deinde ad fontē pœnitētię. s. cōtritionis & dolorose cōfessionis frequēter recurrēs cū satisfactiōe. Nam p̄ ista p̄cipue peccata delent uirtute clauium sacerdotibus concessarū nō solū dico pœnarū sed & culparū: dicente Christo Ioannis xx. Quorū remiseritis peccata remittunt̄ eis: & quorū retinueritis retēta sunt. Neq; eīm sacerdotes solū ostendūt peccata cōfitebibus esse dimissa: sicut qđā uolūt qđ & alijs facere possent ex signis cōtritionis: sed etiā ipsa peccata ȳtute clauū dimittūt in q̄bus clauibus Christi passio operat̄. Has clauē accepit sacerdos in sacri ordinis acceptiōe & secundū dicta doctorū in scripturis suis sup̄ distincti. xviii. xix. & xx. Tripliciter distinguit̄ clauis. s. auctoritatis quę Christo cōuenit soli tanq̄ principali agētī in sacramētis sicut deo: & ista nulli creature est comunicabilis sicut nec diuina essentia: & p̄ hanc clauē solus deus dimittit peccata: sicut & cōferre gratiam & gloriā nulli potest cōmunicare: & ista potest dici clauis inferni: sicut dicit̄ in Apoca. quā solus deus habet & aperit peccatori qđ in peccatis quasi in inferno mortuus est quando deus ei gratiā tribuit ut



## DE ANIMABVS

exeat de peccato. Claudit aut̄ ei quādo meritis exigētibus gra-  
 tiam subtrahit. Aut est clauis excellentiæ: quā Christus habet  
 ut homo: & talem potuit in ministris. s. sacerdotibus q̄ sunt di-  
 spensatores mysterior̄ dei cōmunicare. Et illa clauē ministe-  
 rij a Christo eis cōmissa: utunt̄ sacerdotes in ministratiōe sa-  
 cramentor̄ noui testamētū: & sic seruat̄ ueritas in utroq̄. So-  
 lus deus remittit peccata: clauē auctoritatis: sacerdos clauē mi-  
 nisterij. Hęc est sentētia sancti Thomę in. iij. parte: q̄stioē. lxiij.  
 Artic. i. &. iij. Cui concordat Thomas de Argentina lib. iij.  
 distincti. xvij. Et ponit exemplū de principe qui habet princi-  
 palem auctoritatē apperendi & claudēdi castrū aut ciuitatē:  
 tamē per hoc nō excludit portariū cui etiam clauēs ministerij  
 cōmisit. Aliud exemplū ponit Imperator suis officialibus: cō-  
 mittit ut potestatē habeant maleficos puniēdi si tamen ueniā  
 petant: & hęc uel illa faciāt eos liberos dimittant. Ibi officiales  
 habent potestatē ministerij: princeps aut̄ clauē excellentiæ.  
 Sic & de Christo & sacerdotibus q̄ habet clauē excellentiæ in  
 quantū merito suæ sacratissimæ passionis immediate utit̄: hac  
 clauē per hoc nō excludens ministrū sacerdotē. Ideo dixit quē  
 cuncq̄ ligaueritis sup̄ terrā &c. Ideo in cōfessione multa culpa  
 dimittit atq̄ p̄cena: & si obijcitur tota culpa dimissa est in cō-  
 tritione: igit̄ sacerdos non remittit aliquā. Respondet̄ q̄ nulla  
 est uera & stans contritio nisi cū firmo p̄posito confitendi ex  
 diffinitioē cōtritionis: ex quo preceptū dei & ecclēsię traditio  
 ad confessionē obligant. Itē si dicit̄ peccata uenialia dimittūtur  
 per aspersiōē aquę benedictę: p̄ generalē confessionē &c.  
 Respondet̄ secundū Thomā: hoc est uerum quo ad culpā ra-  
 tiōē cōtritionis annexę nō quo ad totā p̄cenam: quia oportet  
 semp̄ aliquid addere quantū ad p̄cena. Volēs etiam p̄cenam



## EXVTIS

purgatorij euadere a largitiōe elemosynæ se non elonget: sed Lazarū mendicantē in domū suā recipiat: quem ille diues in inferno sepultus: si recipisset: saluus esse potuisset. Nā dicit Thobias: Elemosina ab omni peccato & a morte liberat: & non patietur anias ire in tenebras: eiusdem. iiii. Item ante omnia talis sequatur doctrinā sancti Pauli Ad Romanos. xij. Obsecro uos ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentē sacratā & deo placentem. Quæ hostia tunc deo offert: quando pura conscientia studuerimus insistere ad uitia extirpāda passiones & concupiscentias refrenādas sensus exteriores & interiores ab illicitis compescēdo asperitate uitæ in ieiunijs: orationibus: uigijs: in lectissernijs: uestibus & cæteris afflictioibus corporalibus nos exercēdo: de qua sancta hostia corporis nostri: dicit Gregorius in fine sui dyalogi. Cōstemus & lachrymis duriciam mentis in bono proximi gratiā benignitatis. Et fidēter dico: quia salubri hostia. s. corporis Christi post mortē non indigemus: si ante mortē deo hostia ipsi fuerimus: non minime immo maximæ p pœnis purgatorij ualent indulgentiæ uerę & Romanis pōtificibus & ab alijs auctoritatē habētib; concessa: de quibus ad p̄sens supersedeo & solent a theologis super quarto libro sententiar; distincti. xx. tractari.

Xclamatio actoris in calce huius scripturæ. Cupiens  
 e aliqd de penuria paupertatis meę beniuolis lectoribus  
 per modū plāctus & medicinę inferre: dicere mihi uideor cū apostolo ad Rom̄. ix. uerūtamē uerum dico in Christo Iesu nō metior testimoniū mihi phibente conscientia mea in spiritusctō: quoniā tristitia est mihi magna & cōtinuus dolor cordi meo &c. Et iste qdē deplāgebat auersionē iudeor; a



## DE ANIMABVS

fide Christi quē recipere recusabant inherētes legalibus cere-  
 monijs Moysi quę christo pferebant. Vnde & psalmus dicit  
 Cecitas ex parte contigit in Israhel: In nostra uero seculi ætate  
 grādis cecitas in innūerabili multitudine christianorū cōtingit  
 q̄ heu bestijs bestialiores reperiūtur: nō tamen de oibus hoc  
 uolo intelligi. Hęc em̄ bestię sibi ipsis de futuris p̄uidēt dan-  
 na p̄cauentes & cōmoda sequētes: ut patet in formicis: in grui-  
 bus: in anseribus siluestricis: quę appropinquāte hyemis aspe-  
 ritate: aut loca frigida dedināt: aut speluncis: aut cauernis sibi  
 cibos recolligunt: hęc ex instinctu naturæ. Homines uero ra-  
 tionales hyemis pœnas futuras: aut eternas: aut acerbissimas  
 tēporales non ignorantes apertis oculis nihil p̄spicere uolunt  
 ad eas p̄cauendas putantes sibi solum fidei nomē ad salutem  
 sufficere. De quibus dicit Paulus: Cōfitentur se nosse deum: fa-  
 ctis autē negant. Legimus de sancto Hieronymo ipso teste cū  
 litteris secularibus esset intētus dictū esse cum requisitus esset  
 in plagis quis esset: Respondit: christianus sum: & audiuit: mē-  
 tiris cicerianus es non christianus: & grauiter flagellatus abiit  
 rauit se in antea tales litteras uelle legere: si iam multos christia-  
 nos contingeret inquirat responderet: non christiani estis: sed  
 pagani. Reperiūtur enim multi quorū cōuersatio distat parū  
 a moribus paganorū: nisi q̄ nō colunt idola manu facta: sed  
 idolatriam istam cōmutauerunt in auariciā quę secundū apo-  
 stolum est idolorū seruitus: & tot colunt idola quot sunt au-  
 ritæ genera: licet quilibet paganus in uno idolo stet conten-  
 tus: & probabiliter uideor mihi dicere si hodie essent ido-  
 la responsa dantia & inopiam releuantia diuitias: & digni-  
 tates conferentia uisuri essemus: quot christiani deo dereli-  
 cto idola sequerentur. Nomen ueri Christiani secundum



## EXVTIS

Augustinū est nomē iusticie: ueritatis: pietatis: humilitatis. mā  
 suetudinis: patientie: misericordie castitatis & fraternę charita  
 tis: ubi hæc sibi nō uendicant fictę nomē geritur christianita  
 tis. Ab opere em̄ solitum est rebus nomen imponi: ut faber:  
 futor &c. Ex prioribus reuelatiōibus multum colligere possu  
 mus quomodo aliter pcedit iudicium dei aliter hominū: ap  
 parent em̄ multi tales apud homines: quales nō sunt apud de  
 um: cuius iudiciū uerum est quod etiam in hoc possumus p  
 bare uulgatissima est facta reuelatio in urbe Parisiē. florente  
 tunc sicut & nunc solēni studio de quodā celeberrimo docto  
 re: cuius mirāda fama lōge lateq; se diffuderat uita & doctri  
 na conspicuo: occasione cuius celebris religio carthusiē. Sub  
 cuius habitu gaudiō me ut dignū delitescere sue primę institu  
 tionis sumplit principia tempore magistri Brunonis: hic itaq;  
 doctor rebus humanis exemplatus: cuius corpus per triduu  
 in feretro reueratū coram cōcurrentiū populorum multitu  
 dine prima die terribili uoce clamauit. Iusto dei iudicio accu  
 satus sum. Secūda iusto dei iudicio iudicatus sum. Tertia die:  
 iusto dei iudicio condēnatus sum: & quis uiuentiū de tam ce  
 lebrī glorioso uiro credidisset nisi diuina hoc daruisset uoce?  
 Vbi sunt iam isti qui dicunt: sufficit christiano ad salutem ser  
 uare mādata: Quis credere potuit nisi q; iste tam solēnis do  
 ctor seruauerit: sed fode parietē latentē & inuenies alia in cor  
 de exarata q; in tabulis Moyli scripta mādata: Quotiēs Pau  
 lus in epistola sua dicit: qui talia aut talia agunt regnū dei non  
 possidebunt: Constat aut q; omē mortale est cōtra preceptū  
 diuinū: & qs omnia mortalia dinumerare potest: Et maxime  
 solo corde cum deliberatiōe conclusa: etiā si nunq; ad lucem p  
 deunt olim inuocauit coelum & terrā contra eos quos sciebat



## DE ANIMABVS

deum deserturos utiq; ad uindictam & in testimoniū: quia eis poenas p̄dixit quas passuri erant p̄ peccatis. Armabat em̄ creaturā in ultionē inimicorū: & quis hodie tam parue experientie est ut uiam dei ignoret: Repleta est em̄ terra scientia domini & cum om̄nes uocati sunt: quorū unus dicit uillam emi. i. ad dominū tēdo per superbiam: habe me a cena excusatū. Alter dicit iuga bouū emi quinq; .i. auaritiæ ḡstibus om̄ibus uiribus insisto. Tertius dicit uxorem duxi. i. uoluptatibus carnalibus intendo: ideo nō possum uenire. In his tribus generibus uiciorum pene totus mūdus precipitiū patitur crassa nubes carnaliū desyderiorū & terrenarū solitudinū. obtenebrescere facit rationē ut uidere nequeāt quo pergant. Incidimus enim opera muliebria que aspera fugiūt: delicata tota intentione que-  
runt: & pro his assequēdis etiā dura subire nō metuūt: feliciores utiq; si p̄ eternis delicijs hæc subire nō formidarent: uide-  
mus certe quāte turbines bellorū: etiam usq; ad sanguinis effu-  
siones in diuersis mūdi partibus grassantē p̄ solis tēporalibus aut acquirendis aut cōseruandis: non p̄ fide catholica tuenda in quo rogo regna aut p̄ uincia longo tpe tranquillitas pacis cōseruetur. Hęc omnia primordia sua ducūt: aut ex superbia: aut auaricia in tantū ut columba de archa missa: id est spiritus sanctus gratiā querēs in terra locum ubi pedū infigat inuenire non possit pre nimietate luti & limi terrenarū passionum: si-  
cut olim tempore Noe reuerta redierūt tēpora in fausta quæ fuerūt ante captiuitatē filiorū Israel in Babilonia & in assyros quando deus plures misit p̄phetas ad cōmouendū eos ut re-  
lictis idolis deum patrem suorū sequerētur per eos predicēs eis horrendas captiuitates quos ipse audire contempserunt: immo deriserunt in canticum musicū illudentes. Vt dicit Eze:



## EXVTIS

chielis. xxiiij. Insuper & eos occiderūt. Nam ut dicit Esaias cā:  
 xxviiij. Cū sancti pphetę filijs israhel cōminabant pccnas fu-  
 turas ipsi eos subsanauerūt dicentes manda: remanda: expe-  
 cta reexpecta: modicū ibi modicū ibi. Ac si dicerēt multiplica  
 præcepta & executionē pccnarum: & tamen ibi modicum se-  
 quit̄ ueritatis. Postea tamen per experiētiā senserunt ueritatē  
 cum in cathenis ducebant̄ captiui: sic nostris gratibus cū mul-  
 ti audiant pccnarū eternarū horrendas cōminationes: cū non  
 uident eas: pro ludo eas ducūt: sed expectent paululū & uexa-  
 tio dabit intellectū auditui. Non tamē ideo ueritas silentio trā-  
 seunda est: licet non grate audiat̄ a multis. Inueniet em̄ aliquā-  
 do sermo diuinus ubi requiescet. Nā dicit sapiēs: Ad multas  
 lupa tendit oues ut unam predet̄ hac mercede non carebit re-  
 lator ueritatis. Teste Hieronymo qui in quadam epistola ait  
**Q**ui ethyopem inuitat ad balneum: & si nigredinem nō au-  
 ferat illi uel pecuniam accipit sibi. Et licet in illius candore nō  
 gaudeat certe uel in suo lucro letatur. Ita sine dubio qui in obe-  
 dientem diuinis sermonibus monet: quibus refragantis pecca-  
 ta non tollas: mercedem tamen sibi de ministerio charitatis ac-  
 quirit teste Christo qui dicit: Si nō fuerit ibi filius pacis: pax  
 uestra ad nos reuertetur. O si sanctus Augustinus ille cele-  
 berrimus theologus uiueret & uideret statum currentis tem-  
 poris: & specularetur studia humana: & præsertim in subli-  
 mitate cōstitutorum tam spiritaliū quā secularium: non solum  
 dicere sicut eo uiuente dixit: adhuc modicum lumen in christi-  
 anis est: sed forte diceret pene totū lumen in multitudine chri-  
 stianorū extinctū est. Et quedam sancta quæ frequēter in exta-  
 sim rapiēbat̄ legitur dixisse. Si sapientissimus in mundo pos-  
 set cōsiderare quot animæ quotidie descendunt ad infernum



## DE ANIMABVS

plus essent t̄p̄ arena maris diuturna & plus t̄p̄ lapilli ripar̄ se-  
cus mare & infinite animæ quotidie descendūt ad infernum.  
Quis non cōtremiscet hęc audiens cū nemo scit: an odio uel  
amore dignus sit: Cui cōsonat cōponere facilis descēsus auer-  
ni & seneca: Antiquor̄ sententia nil aliud q̄ facienda & uitan-  
da p̄cepit: & tunc longe meliores erāt homines post t̄p̄ docti  
prodierūt boni deseruerūt: simpex em̄ & aperte docemur q̄ di-  
sputare nō uiuere: hęc ille. Quā uerum hoc sit quotidiana ho-  
minū declarant studia. Et hoc cōformat apostolica doctrina  
qui docet sobriæ: piæ & iuste uiuere in hoc seculo cū sologisti-  
cis disputationibus: aut tabulis alfonicij: aut motibus planeta-  
rum totā curam impēdere in hoc breui temporis spacio: sed  
quō deo possemus rationē in districto examine reddere: cū  
hęc tunc allegare fatuū uideatur. Et quando p̄ceditur ad pœ-  
nas ignis: tunc om̄is cessat dubitatio. Om̄es quot̄q̄ leguntur  
resuscitati uisus pœnis seculū deseruerūt & claustris se abscon-  
derunt pœnitentiā artam agentes nobis se exemplū p̄bentes  
& paucos imitatores habentes.

**H**Aec rudi stilo quantū ualui nō quantū uolui scripta  
certa charitate: & qua estimauī ueritate omnibus be-  
niuolis & clarioribus rectoribus humiliter offero  
emendanda & limanda cedere paratus lucidiori ueritate cui  
non p̄scripsi. Narrans in his plures reuelationes perlectas pie  
credens eor̄ scriptores non fuisse mentitos. Quibus similes  
immo maiores. Beatus Gregorius papa nō timuit ad edifica-  
tionem hominū in suo dyalogo enarrare: ueniam petens de  
prolixitate aut supfluitate charitate ad hoc instigante: pro quo  
deus sit benedictus.

FINIS.



## DE MORTE EPIGRAMMA.

**R**ebus in humanis quod sit constantia nulla  
Id modo turifera mortis imago docet.  
**N**il tam magnificum spaciolo cernitur orbe  
Quod non lucifera conditione ruat.  
Non sibi magnanimi proceres: regesque potentes  
Applaudent: cunctos exitus unus habet.  
Romani cecidere duces nec profuit illis  
Lapsis: Imperij laurea parta sui.  
Nobilitas nulli prodest: nec copia rerum.  
Nullus ab horrendo carcere tutus erit.  
Nullum diuitie molles a morte tuentur  
Argentum nulli profuit eloquium.  
Corruit eacides pugnax: & Troius Hector  
Corruit excellens quicquid in orbe fuit.  
Sic rigidum ius est & inuitabile semper  
Mortis onus: quęquam fata seuera manent.  
Mortales igitur nullis confidite rebus  
Externis: dubio remige uita fluit.

## DE MISERA HOMINIS CONDI- TIONE TETRAMETRVN.

Bulla quid inflaris: mortalis homuncio: uermis:  
Nonne teris terram: terram geris: in quoque terram  
Conuerteris homo qui terra sumeris: idem  
Nascendo moreris: floreudo nonne putrescis?



VLSENIVS DE MORTE.

Mors ego:mors domitrix mundi:mors sub pede cuius  
Ratio iam dudum queque tributa dedit.

CAPNION.

Diruit omnia mors & habent hunc omnia finem  
Vnus & interitus:rebus & vna quies

HEBERLINVS.

Aspice qui transis peregrino tramite mundum  
Vna quies cunctis & cinerosa lues.

BRANT.

Ad mea deproperant uitalia corpora regna  
Serius aut citius cuncta creata ruunt.

PHILOMVSVS.

Heus rigidum ius est & ineuitabile semper  
Mortis onus:quemquam fata seuera manent.

SAMBVCELLVS.

Nil finit illegum necis insuperabile fatum  
Dirigit in cineres quicquid in orbe uiget.

FINIS.





Mors refecat:mors omne necat:quod carne creatur.  
Cum fex: cum limus:cum res turpissima simus.  
Cur superbimus:nescimus quando perimus.

Dispone domui tue:quia morieris:

T w





1000

1000

1000

1000



BIBLIOTEKA  
WARMIŃSKIEGO SEMINARIUM DUCHOWNEGO  
„HOSIANUM”  
w Olsztynie

SD 405/1-3

O-1/51